DE CIVITATIUM GRAECARUM IN PONTI EUXINI ORA OCCIDENTALI SITARUM REBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHUS KLEINSORGE

GUESTPHALUS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS

MDCCCLXXXVIII.

PATRIS MEMORIAE

SACRUM.

Non defuerunt viri docti, qui de rebus et institutis civitatium in ora Ponti Euxini, quae est inter Istrum flumen et Bosporum Thracicum, sitarum exponerent. Sed cum plurimi in singularum civitatium titulis edendis de quibusdam rebus disputaverint, copiosior et longior commentatio, quae et ad res gestas et ad instituta illarum civitatium Graecarum pertinet, medio circiter hoc saeculo a Beckero[1]) confecta est. Multi autem tituli post huius viri doctissimi dissertationem reperti sunt, qui partim nova quaedam nos docerent, partim ut alia accuratius diiudicaremus, efficerent. Quam ob rem non erit inutile, quaestionem de illis urbibus resumere atque de integro componere, quaecumque de iis cognoscere liceat.

Duo autem praecipue sunt fontes, e quibus materia disputandi hauriatur, quorum alter auctorum testimoniis, alter titulis continetur, qui hac aetate in lucem protracti sunt. Quaecumque igitur ex scriptorum libris atque ex titulis cognoscere licebit, colligere, componere, diiudicare conabor, eum ordinem secutus, ut

cap. I de rebus gestis,

cap. II de communibus civitatium,

cap. III de rei publicae formis et magistratibus singularum civitatium Graecarum disputem.

Sed priusquam ad disputationem ipsam aggrediar, prooemio opusculi mei breviter exponere liceat, quae urbes in illa parte orae Ponti Euxini, quam ante commemoravi, sitae et a quibus et ubi atque quo tempore conditae sint.

---

[1]) P. Becker: Beiträge zur genaueren Kenntniss Tomis etc. (Jahrb. f. Phil. Suppl. 19 [1853], 325 ff.).

Ora Pontica, quae est inter Istrum flumen et Bosporum Thracicum, Haemo monte in duas partes quasi dividitur, alteram ultra Haemum usque ad Istrum flumen, alteram citra Haemum usque ad Bosporum Thracicum pertinentem. Urbium Graecarum, si situm urbium vel vicorum, qui inveniuntur hac aetate in illa parte orae, sequimur, sitae erant ultra Haemum: Odessus loco urbis Varna[1]), Dionysopolis loco vici Balčik[2]), Callatis eodem loco atque nunc Mangalia, Tomi[3]) in vicinia vici Küstendsche, Istrus loco vici Karaharman; cis Haemum: Mesambria[4]) loco vici Mesambria, Anchialus[5]) haud longe remota ab urbe eiusdem nominis ad occidentem versus, Apollonia[6]) loco vici Sozopolis. Superiores urbes omnes praeter Callatim, quae Heracleotarum[7]) colonia dicitur, et Dionysopolim, quae urbs a quibus condita sit ignoratur, a Milesiis conditae sunt. Callatim nescio quo tempore cives Milesios recepisse, inde probabiliter colligitur, quod titulus Callatianus[8]) genetivum praebet *ἱερέω*; quae genetivi forma a nominativo *ἱέρεως* Ionismi Milesiorum[9]) proprio derivanda est. Praeterea in titulo Callatiano[10]) legimus nomen tribus proprie ionicae *Αἰγικορεῖς*.

Istrum a Milesiis esse deductam, cum Scythae Cimmerios ex Bosporo expellerent eosque in Asiae fines persequerentur Scymni Chii periegesis v. 770 narratur. Invasionum Cimmeriorum a Scythis ex sedibus Ponti septentrionalis expulsorum eam periegesis auctorem intellexisse, quae Herodoti[11]) testimonio Cyaxare, Medorum rege (633—593), i. e. exeunte saeculo VII. a. Chr. n. est facta, verisimile est. Eodem fere tempore citra Haemum ab iisdem Milesiis Apolloniam conditam esse, colligi potest ex periegesis v. 731; quo Apolloniam quinquaginta fere annis antequam Cyrus regnaret, ortam esse exponitur. Medio

---

[1]) Archäol. epigr. Mitth. aus Oestr.-Ungarn X, 178.

[2]) ib. X p. 183. [3]) ib. VI. [4]) ib. X p. 173. [5]) ib. X p. 171.

[6]) ib. X p. 162; cf. etiam: geograph. Tafel, tab. VII, in Mittheil. X, Heft 2.

[7]) Memnon fr. XXI (Müller: fr. hist. gr. III p. 537); Strabo geogr. p. 319; Scymni perieg. 761, 762.

[8]) Mitth. aus Oestr. VI p. 8 n. 14.

[9]) Dittenberger: Sylloge 376[4].

[10]) Mitth. aus Oestr.-Ung. VI p. 9 n. 5.

[11]) Herodot. lib. I, 103.

circiter saeculo VI., cum Astyages imperium Medorum habebat, Odessus constituta est.[1]) Callatim ab Heracleotis esse deductam, cum Amyntas imperium Macedoniae adeptus esset, ex periegesis versu 761 cognoscitur. Cum de eo Amynta cogitandum videatur, qui anno c. 498 a. Chr. n. mortuus est, originem urbis exeunti saeculo VI. a. Chr. n. tribuendam esse verisimile est.

Mesambriam cum a Megarensibus conditam esse Strabo[2]) memoriae prodat, Chalcedoniorum et Megarensium coloniam fuisse Scymnus[3]) testatur. Sed auctorem periegesis rem non accurate descripsisse, Herodoti[4]) testimonio probatur, e quo tumultu Ionico pacato ex Byzantiorum et Chalcedoniorum civium numero Mesambriam nonnullos se contulisse compertum habemus.

Itaque res sic se habere videtur, ut Mesambria a Megarensibus exeunte saeculo VI.[5]) condita ex oppidis Byzantio et Chalcedone initio belli Persici novis civibus receptis aucta sit. Tomos quamquam quo tempore Milesii constituerint ab auctoribus non est traditum, eadem fere aetate ac ceteras Milesiorum colonias ortos esse, verisimillimum est.

---

[1]) Scymni Chii perieg. v. 748, 749.

[2]) Strabo p. 319.

[3]) Periegesis v. 741.

[4]) Herodot. lib. VI, 33.

[5]) Periegesis v. 742: *ὅτε ἐπὶ Σκύθας Δαρεῖος ἐστρατεύετο.*

Caput I.

De rebus gestis[1]) civitatium Ponticarum.

De primordiis urbium Ponticarum earumque rebus prisca illa aetate, qua in finibus Thracum constitutae sunt, gestis ab auctoribus nihil traditum est. Iam quid ex urbium per singula saecula memoria ex auctorum libris titulorumque argumentis cognosci possit, inquiramus.

Saeculo VI. a. Chr. n. Darium, regem Persarum, expeditione contra Scythas facta totius Thraciae gentes devicisse, Herodotus[2]) memoriae prodidit. Urbes Ponticas, etsi contra eas bellum esse gestum ab Herodoto non traditur, in deditionem a Dario acceptas esse, verisimillimum est. Paulo accuratius altero loco Herodoti[3]), ubi de bello a Megabyzo renovato exponitur, Megabyzum Perintho urbe capta per totam Thraciam cum exercitu profectum omnia oppida omnesque gentes Persarum regi subiecisse, narratur. Qua expeditione quin Ponticae quoque urbes expugnatae sint, non est cur dubitemus. Persarum autem imperio res, quae ante valuissent, ab omni parte mutatas esse, negandum puto; dominatio enim eorum brevior erat, quam ut gentes Thraciae feroces pacarent imperioque assuefacerent. Nonnullis annis post Darii expeditionem, cum Persae bello cum Graecis implicati essent, et potentia opesque eorum multis deinceps et magnis cladibus in dies minuerentur, nihil gentes Thraciae impediebat, ne a Persis deficerent libertatemque assequerentur. Quam occasionem libertatis recuperandae ab iis non esse neglectam, certo Thucydidis[4]) testimonio comprobatur.

---

1) Revue archéologique (1881) 42, pag. 204—215.

2) Herodot. lib. IV.

3) Herodot. lib. VI, 2.

4) Thucyd. II, 97.

Odrysae enim, gens Thracica, Sitalce rege magnam assecuti potentiam fines imperii inde ab urbe Abderis usque ad Istrum flumen et Pontum Euxinum protulerunt. Urbes mari Pontico appositas in eorum regni finibus sitas fuisse eiusque partem effecisse, ex Thucydidis finium descriptione magna cum probabilitate concludas. Quod si statuimus, ratio inter civitates Graecas et Odrysas in eo erat posita, ut illae Odrysarum principibus tributum solverent; quod omnibus urbibus Graecis imperatum esse, a Thucydide memoriae proditur.

Saeculo IV. urbes magnam assecutas esse potentiam, Istrianorum exemplo comprobari videtur, qui Scytharum regem Ateam[1]) bello sic premebant, ut a Philippo, rege Macedonum, auxilium peteret. Sed fuerunt viri docti[2]), qui dubitarent, utrum Istriani, quos Justinus[1]) commemorat cives urbis Istri an gens Thracica, quae in Istri fluminis ripa dextra sedes habuisset, intellegenda esset.

Duo igitur argumenta A. Schaeferus attulit, quae ei sententiae, qua de civibus Istri urbis cogitandum esset, repugnarent. Quorum alterum, aliquid habere miri, quod urbem Justinus aggredientem fecerit Scythas, non magni momenti esse, nemo negabit, praesertim cum Istrum urbem saeculis Romanorum imperio antecedentibus opulentissimam fuisse ex scriptorum testimoniis[3]) efficiatur. Gravius autem videtur alterum argumentum, regem Istrianorum a Justino commemorari, quod cum civitatis Istrianae institutis quarti a. Chr. n. saeculi nullo modo conveniret.

Sed offensionem, quae in Justini verbis inest, leniore medicina removendam esse censeo. Aristotelis[4]) igitur ex loco Istri optimatium regimen fuisse cognoscitur; quam ob rem paucos viros summa potestate in re publica administranda usos esse statuendum est; inter hos archontes unum fuisse, qui ceteris et in re publica administranda et in bello gerendo praefectus esset, statuere licet. Regis vero nomen eo minus mirandum est, quia fortasse ille summus magistratus ex certa optimatium gente eli-

---

[1]) Justin. IX, 2.

[2]) A. Schaefer: Demosthenes u. seine Zeit, II p. 520; Droysen: Geschichte des Hellenismus, I p. 116.

[3]) Cf. A. Schaefer l. c.

[4]) Polit. lib. *H* (*E*) 6, 1305 b 2 sq.

gebatur. Simile vero accidit in regno Bosporano, ubi quarto a. Chr. n. saeculo archontes ex Spartocidarum gente creati sunt. Qui summi magistratus Graecorum eius regni archontes, barbarorum reges vocabantur.[1]) Etiamsi nulla causa est, cur civitatis Istrianae alteram partem barbaros effecisse atque Justinum regis nomen, quod proprie in barbaros quadraret, ad archontem civium Istri urbis transtulisse arbitremur, tamen inter archontes Istrianos unum eadem fere potestate usum esse atque archontes regni Bosporani ex gente Spartocidarum quarto a. Chr. n. saeculo creatos, non est cur neges. Quem summum magistratum Justinum vel eos, quos secutus est, regem nominasse liberiore aliquo modo, mihi quidem verisimillimum est. Sed etiam fieri potuit, ut ille magistratus ab Istrianis ipsis rex nominaretur. Quam ob rem non satis causae esse videtur, cur in Justini verbis offendamus et Istrianorum nomini, quod praeterea nusquam aliud quid significat, quam urbis Istri cives, hic aliam notionem subiciamus.

Alexander Magnus, cum Philippus pater finibus Macedoniae longe propagatis magnam partem Thraciae dicionis suae fecisset Triballis bellum intulit et usque ad Istrum flumen progressus est. Getis, qui tum in sinistra Istri fluminis ripa sedes habebant, devictis eorumque urbe expugnata domum se recepit, ut bellum contra Asiae populos pararet.[2]) Utrum urbes Ponticae ab Alexandro expugnatae sint an — quod verisimilius videtur — sponte ei se dediderint[3]), non potest diiudicari.

Alexandro mortuo cum a Perdicca res temperarentur, Lysimachus anno 323 a. Chr. n. „Thraciam appositasque Thraciae Ponticas gentes obtinere iussus“ est.[4]) Ex hac demum aetate de nonnullarum urbium Ponticarum rebus gestis aliquid certi compertum habemus. Lysimachus cum Thraciae imperium adeptus esset, id maxime egit, ut omnes Thraciae gentes urbesque imperio suo obtineret. Quod ut efficeret, multa et magna bella ei gerenda erant. Gentes enim eius regni assiduas fecerunt seditiones, ut libertatem, qua ante usae erant, recuperarent.

---

[1]) Dittenberger. Syll. 100⁴.

[2]) Strabo p. 301.

[3]) Arrian. exp. Alex. I, 4, 6.

[4]) Q. Curtius Rufus X, 30, 4. Diodor XVIII, 3, 10.

Imprimis Odrysae summa vi ei resistere ac per longum tempus libertatem armis tueri conati sunt.[1]) Qua difficultate rerum confisae Graecae quoque civitates sui iuris fieri studebant. Callatiani[2]) seditionis initium fecerunt praesidio Lysimachi expulso. Deinde cum vicinis urbibus foedus inierunt ad hostem communem persequendum. Thraciae gentes finitimas et Scythas ipsos ut se ad bellum gerendum adiuvarent, commoverunt. Lysimachus cum urbes Ponticas a se defecisse comperisset, statim Haemum montem transgressus Odessitanorum urbem obsidebat. Quibus paulo post cum de pacis condicionibus cum Lysimacho convenisset, imperio Lysimachi se subiecerunt. Istrianis simili ratione reconciliatis contra Callatianos profectus est. Quorum oppidum ut obsidione liberarent, Thraces et Scythae auxilio venerunt. Quibus a Lysimacho devictis non multum aberat, quin oppidum Callatianorum expugnaretur, cum Antigonus magno exercitu in fines regni invasit. Itaque Lysimachus cum copias in duas partes divisisset, cum altera contra Antigonum eiusque socios profectus est, alteram ad oppidum obsidendum reliquit.

Haec de rebus civitatium Graecarum aetate Lysimachea gestis Diodorus memoriae prodidit. Ex altero loco[3]) eiusdem scriptoris Callatianis cum Eumelo, rege Bospori Cimmerii, amicitiam fuisse cognoscimus. Quam eo esse factam, quod Eumelus, cum urbs Callatianorum a Lysimacho obsideretur, multos Callatianos urbe propter inopiam relicta finibus regni recepisset, Diodorus explicat. Quamquam scriptorum libris de exitu belli contra Callatianos gesti nihil traditum est, tamen nemo potest dubitare, quin Callatis a Lysimacho expugnata imperioque eius subiecta sit. Nam pace cum Antigono anno 311 facta nihil impediebat, ne Lysimachus copiis conductis omni studio in bellum contra Callatianos gerendum incumberet. Quo facto Callatianos Lysimacho impares fuisse apparet. Itaque cum Odessitanos et Istrianos iam paucis annis ante cum Lysimacho pacem iniisse constet, tum omnes urbes, quae ante Lysimacho repugnassent, libertate desperata in officio permansisse verisimillimum est.

---

[1]) Diodor. lib. XVIII, 14.

[2]) Diodor. lib. XIX, 73.

[3]) Diodor. lib. XX, 25.

Cuius rei non leve argumentum ex nummaria quoque re repetere licet. Inter nummos enim aureos urbium Istri, Callatidis, Tomorum exstare, qui eodem modo atque aurei Lysimachei excusi essent, bene observavit Soutzo.[1])

Iam inquiramus, quid de rebus urbium saeculo III. gestis iudicandum sit. Lysimachum usque ad annum 281, quo proelio cum Seleuco commisso interfectus est, imperium populorum illorum obtinuisse, nihil est causae cur negemus. Sed inde ab eo tempore res Thraciae magnopere motae funditusque eversae sunt. Galatae post cladem Delphicam anno 279 cum in Thracia consedissent, imperium, cuius caput erat Tylis prope Haemum montem sita, condiderunt finesque per magnam Thraciae partem protulerunt. Primo eorum rege Comontorio Byzantii magnis impensis effecerunt, ne Galatae fines suos devastarent. Postea tributum octoginta talentorum annuum iis imperatum est usque ad Cavarum regem; quo regnante Galatarum regnum a Thracibus eversum est.[2]) Quod ad colonias Graecas mari Pontico appositas attinet, ex titulo Olbiopolitano[3]), quem W. A. Schmidtius de Galatis eo tempore Thraciam incolentibus intellexit, ceteras urbes Ponticas simili ratione atque Olbiam a Galatis vexatas esse, collegeris. Sed Schmidtii argumentationem dubitatione non carere et titulum eodem iure ad Scordiscos alterius a. Chr. n. saeculi referri posse, Dittenberger exposuit.[4]) Galatas in fines urbium invasisse a scriptoribus memoriae proditum non est. Neque Polybius, qui quae ratio Byzantio urbi cum Galatis intercesserit, accurate explicat, ceteras urbes ne verbo quidem commemorat, neque alii scriptores, qui de rebus Galatarum exponunt, quidquam de invasione eorum in fines Graecorum Ponticorum referunt. Pro certo res diiudicari non potest et melius in medio relinquitur.

Accuratius exponere licet de bello, quod inter nonnullas urbes Ponticas tertio a. Chr. n. saeculo exortum est. Byzantiis enim adversus Callatianos et Istrianos bellum erupisse propter Tomos emporium, quod Callatiani ex eo monopolium facere

---

[1]) Revue archéol., Bd. 42 l. c.

[2]) Polybius IV, 46.

[3]) Dittenberger. Syll. 248.

[4]) Dittenberger. Syll. 248 adnot.

studuissent, ex Memnonis fragmento[1]) compertum habemus. Utrimque ad Heracleotas de belli societate legationem missam esse; qui cum neutri parti auxilio venissent, et legatos, qui componerent controversiam, misissent, hos nihil effecisse; bello exorto Callatianos multis detrimentis affectos ad pacis condiciones descendisse, idem Memnon nos docet.

Jam pervenio ad illa tempora, quibus Macedones Philippo, Demetrii f., et deinde Perseo regnantibus magnam potentiam assecuti plurimum valebant. Gentes Thraciae etiamsi Macedoniae finibus non continebantur, in bellis gerendis a parte Macedonum stare coactae sunt. De Philippi expeditione in barbarorum, Odrysarum potissimum Bessorum Dentheletorum fines suscepta Polybius verba fecit.[2]) Cotyn, regem Odrysarum, partis fuisse Macedonum Perseo rege, Livius auctor est.[3])

Urbes Graecae in ora Ponti Euxini sitae num foedus cum Macedonum regibus inierint, ex scriptorum testimoniis non cognoscitur. Libertatem, qua ante usae erant, servatam esse, verisimile est. Potentia autem Macedonum tribus bellis omnino deleta a Romanis anno 146 a. Chr. n. Macedonia provincia instituta Romanorumque imperio adiuncta est. Inde ab eo tempore Romani fines imperii magis magisque propagarunt.

Jam quid de rebus urbium Ponticarum primo a. Chr. n. saeculo traditum sit, consideremus necesse est. Initio eius saeculi, compluribus bellis contra Thraciae gentes gestis, in Mysorum fines, qui inter Istrum flumen et Haemum montem sedes habebant, C. Scribonius Curio, proconsul Macedoniae, profectus[4]) Romanorum ducum primus ad Istrum flumen pervenit. Paucis annis post M. Lucullus bellum intulit Bessis, genti Thraciae, atque ingenti proelio eos in Haemo monte devicit.[5]) Mysos quoque aggressus usque ad Istrum flumen contendit.[6]) Qua in expeditione complures urbes Graecas cepit, Apolloniam autem evertit, ex qua urbe magnam statuam Apollinis Romam duxit

[1]) Müller: fragm. hist. graec. III p. 537 (fr. 21).
[2]) Polybius XXIII, 8, 4.
[3]) Livius 42, 29.
[4]) Rufus-Festus: brev. XII.
[5]) Eutrop. VI, 10.
[6]) Appian.: *Ἰλλυρική*, cap. 30.

atque in Capitolio dedicavit. Bello in finibus Thraciae confecto quomodo res populorum Graecorum a Romanis temperatae sint, memoriae non est proditum. Romanos vero hostilem in modum in eos consuluisse et libertatem iis eripuisse, negandum est. Neque enim fieri poterat, ut illis temporibus res Thraciae constanti ac firma disciplina ordinarent, cum imperium eius terrae assiduis invasionibus barbarorum transdanuvianorum et continuis ipsius Thraciae gentium seditionibus infestum fieret. Civitates Ponticas, quae ipsae quoque timerent, ne barbarorum invasionibus vexarentur neve a mercatura negotiisque prohiberentur, multum profuturas esse ad imperium in Thracia stabiliendum, si partes suas sequerentur, Romani haud ignorabant. Quam ob rem eas in Romanorum fidem et tutelam receptas esse, maximam probabilitatem habet.

Medio autem circiter saeculo urbes Ponticae C. Antonio, quem ad Graecos tuendos contra gentes in ripis Istri fluminis habitantes profectum esse Mommsenus[1]) opinatur, a Bastarnis devicto[2]), magnopere vexatae sunt incursionibus Getarum. Cuius gentis opes cum tertio[3]) et altero a. Chr. n. saeculis non magni momenti fuisse inde quoque colligere liceat, quod apud Polybium ne nomen quidem Getarum exstat[4]), primo a. Chr. n. saeculo vehementer auctas esse, Strabo testatur. Burebista enim, qui medio circiter saeculo primo[5]) regnabat, gentem ad desperationem fere redactam servavit magnumque imperium condidit.[6]) Quo duce Getae Celtis, Boiis, Tauriscis devictis usque ad Macedoniae et Illyriae fines pervenerunt. De Getarum in urbium Ponticarum fines incursionibus Strabo non explicat, nisi eius verba de Burebista dicta: „*τὴν Θρᾴκην λεηλατῶν*“ ad Graecas quoque urbes, quae mari Pontico appositae sunt, referenda esse putas. Quod fieri debere cum per se verisimile est, tum certo testimonio[7]) Dionis Chrysostomi comprobatur. Ex Dionis

---

[1]) Röm. Geschichte V, pag. 12.

[2]) Dio Cassius 51, 26.

[3]) Justin. XXV, 1: „Getae a Gallis fugati sunt“.

[4]) Dittenberger: Sylll. 248 adn.

[5]) Mommsen: Res gestae divi Augusti, pagg. 129. 130.

[6]) Strabo VII pag. 303.

[7]) Dio Chrysost. ed. Dindorf, B. II p. 49.

oratione exeunte primo p. Chr. n. saeculo conscripta, in qua Olbiam a Getis non multo plus centum et quinquaginta annis ante aetatem Dionis captam esse pronuntiatur, Getas ceteras quoque urbes in sinistra Ponti parte usque ad Apolloniam cepisse, compertum habemus. Qui locus Dionis sine dubio de iis incursionibus Getarum intellegendus est, quae Burebista rege factae sunt.

Confirmatur autem testimonium Dionis argumentis nonnullorum titulorum, qui recens inventi sunt. Ac primum huc spectat Istri urbis titulus[1]) propter scripturae rationes primo a. Chr. n. saeculo assignandus, quo Aristagoras quidam propter beneficia in civitatem Istrianorum cumulata summis laudibus effertur. Merita eius in patriam praecipue in eo posita fuisse, quod civibus, ubicumque a barbaris essent oppressi, non defuisset, immo non solum iis muneribus, quae in ipso discrimine rerum ei mandata essent, optime esset functus, sed etiam ultro ad urbem contra barbaros defendendam nec labores suscipere nec pecuniae impensas facere dubitasset, ex tituli argumento cognoscitur. Hostes, de quibus in titulo agitur, quin Getae sint intellegendi, non potest dubitari. Namque cur aetatem, ad quam tituli argumentum spectat, diversam esse statuamus ab ea aetate, de qua Strabo et Dio auctores exponunt, nihil est causae. Nullius autem gentis illo tempore incursiones in fines urbium Ponticarum commemorantur, nisi Getarum; quorum cum fines gentibus finitimis subiectis haud longe remoti essent ab urbibus Graecis, nihil impediebat, ne identidem invaderent urbesque vexarent, quod bene convenit cum titulo, in quo multifariam barbaros Istrianorum urbem et agros infestos reddidisse exponitur.

Alter deinceps exstat titulus[2]) Odessi urbis, ex quo hanc urbem a Getis dirutam esse cognoscatur. Continet enim nomina quadraginta sex civium, qui munere sacerdotali „*μετὰ τὴν κάθοδον*“ functi sunt. Latichewius[3]) connexum statuendum esse inter illum titulum et Dionis locum ante allatum, recte monuit.

---

[1]) Mitth. aus Oestr.-Ung. VI (1882), pag. 36.

[2]) Mitth. des deutsch. arch. Inst. zu Athen X pag. 317.

[3]) Mitth. des deutsch. arch. Inst. zu Athen XI pag. 200.

Tituli igitur verbum κάϑοδον sic intellegendum esse proposuit, ut significaret illud tempus, quo Odessitani in priorem locum urbis a Getis deletae rediissent atque de integro civitatem instituissent. Singulos qui titulo afferrentur inde ab reditu Odessitanorum ex ordine sacerdotio functos esse, persuasum habet. Quod quin recte se habeat, vix potest dubitari. Jam vero si Odessum a Getis dirutam et postea restitutam esse constat, quaerere debemus, quo tempore utrumque factum sit. In expeditione Burebista rege medio circiter primo a. Chr. n. saeculo facta quin Odessus a Getis deleta sit, non est dubitandum. Difficilius est diiudicare, quo tempore urbs restituta sit. Latichewii sententia, qua κάϑοδος medio circiter saeculo i. e. aetati proximae post Burebistae expeditionem et titulus ultimo primi a. Chr. n. saeculi decennio tribuitur, magnam veritatis speciem prae se fert. Respecto enim altero [1]) titulo Odessitano Tiberii imperatoris aetatis, in quo Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου τοῦ Προμαϑίωνος commemoratur, hunc Apollonium filium esse Ἀπολλωνίου Προμαϑίωνος, qui in tituli nostri versu 24. affertur, suo iure Latichewius statuisse videtur; qua ex ratione titulum spectare ad ultimos primi a. Chr. n. saeculi annos, verisimile est. Alteram rationem tituli temporis definiendi Latichewius ex titulo ipso repetivit. Nam cum illos quadraginta sex cives singulos in singulos annos creatos esse maximam habeat commendationem, si reditus medio circiter saeculo assignatur, sacerdotem quadragesimum sextum ultimo decennio primi a. Chr. n. saeculi in munere fuisse, verisimillimum est.

Denique exstat titulus [2]) Apolloniae urbis, quo hanc urbem simili fortuna adversa usam esse atque Odessum, demonstrari videatur. Verba enim eius tituli: „κτίσας τὴν πόλιν μετὰ τὴν ἔκπτωσιν", quibus Metocus quidam laudatur, probabiliter sic intelleguntur, ut Metocum urbem Apolloniam a Getis dirutam curasse restituendam statuamus.

Jam ad illam aetatem accedamus, qua fines imperii Romani usque ad Istrum flumen protulerunt. M. Licinius Crassus, anno 29 a. Chr. n. proconsul Macedoniae, bellum contra Moesos gessit

---

[1]) C. I. G. 2056 g.

[2]) Mitth. aus Oestr.-Ungarn X p. 163.

eosque imperio Romano subiecisse videtur. Biennio enim post (27 a. Chr. n.) de Moesia subacta Augustum dicentem facit Cassius Dio[1]). Quo anno Moesia provincia instituta sit, accurate definire non licet. Primus Moesiae provinciae legatus qui notus est, Caecina Severus, anno 6. p. Chr. n. fuit[2]). De condicione Graecorum Ponticorum, qualis illa potissimum aetate fuit, testis oculatus est Ovidius poeta, qui ab anno 9 usque ad annum 17 p. Chr. n. Tomis exul vixit. Gentes transdanuvianae quamquam identidem Romani magnas clades[3]) iis intulerant, urbes vexare non desierunt. Per hiemem potissimum, quo tempore Istri fluminis „undae frigore concretae" transitum praebebant, invadebant finesque urbium infestos reddebant.[4])

Sed inde a Traiano imperante urbes Graecae efflorescere coeperunt, in quibus Tomos tum primum locum obtinuisse altero loco copia erit explicare.

Jam primam dissertationis partem, qua de rebus gestis urbium Ponticarum disputare propositum erat, ad finem perduxi; nunc ad alteram transeamus, qua de foederibus vel communibus explicemus necesse est.

Caput II.

De civitatium Ponticarum communibus.

Saeculis Romanorum imperio antecedentibus urbes Ponticas commune effecisse, quo inter se coniunctae rebus sacris operam darent vel res foederis communes agerent, nec scriptorum libris nec titulorum argumentis confirmatur. Scriptorum unus Diodorus foederis, ut ante vidimus, fecit mentionem; quod contra Lysimachum, cum urbes imperio suo subicere studuisset, ad libertatem defendendam est factum. Bello a Lysimacho confecto

---

[1]) lib. 53, 7.

[2]) Dio Cassius, lib. 55, 29; Marquardt: Röm. Staatsverwaltung, I pag. 301.

[3]) Mommsen: res gestae divi Augusti, pag. 130.

[4]) Ovid. Trist. lib. III, 10.

id foedus esse dissolutum pro certo habendum est. Titulus[1]) deinceps utrum ad civitatium Graecarum commune referendus sit necne, Boeckhius dubitat, ad vocabulum quod exstat, *σύνεδροι,* adnotans: „vide ne ad concilium foederatarum civitatium pertineant". Cuius viri doctissimi sententia, quae inde potissimum fluxisse videtur, quod titulum tribuendum esse putaret Odesso, quam urbem Pentapolis sociam fuisse ex altero titulo[2]) constaret, titulo denuo a Latichewio edito[3]) non iam teneri potest. Ac primum quidem titulum altero a. Chr. n. saeculo conscriptum esse, ex litterarum formis probabiliter conicitur; quo tempore Pentapolim iam fuisse, nullo probatur argumento, nisi quod ex titulo ipso repetas; quod magnopere esse dubium nec magni momenti, eo probatur, quod alteram vim vocis *σύνεδροι,* quae haud raro in titulis usurpata singularum civitatium senatores significat, quominus in titulo nostro intellegamus, non est, quo [impediamur. Deinde gravius est, quod Latichewius bene observavit, titulum Mesambriae urbi vindicandum esse ea potissimum de causa, quod mensis nomen *Ἀρτεμίσιος,* cuius forma genetivi *Ἀρτεμισίου* in titulo restituenda esset, Doricae tantum urbi conveniret. Quam urbem Pentapolis Romanorum aetate omnino participem non fuisse verisimillimum est; quam rem postea accuratius explanabimus. Si quis altero a. Chr. n. saeculo Mesambriam inter civitates foederatas fuisse, ex tituli argumento colligendum esse proponat, ei opponendum est, in quod iam ante digitum intendi, alteram vim vocis *σύνεδροι,* quae spectat ad senatum, eodem iure intellegi posse in titulo Mesambriano.

Jam vero cum foederis vinculo civitates Graecas aetate Romanorum principatu anteriore inter se coniunctas fuisse cur statuamus, non sit, ad illam aetatem accedamus, qua de duabus communis inter urbes Ponticas formis compertum habemus, quarum altera est Pentapolis, altera Hexapolis.

A. De Pentapoli.

De Pentapoli quae sunt disputanda, unius tituli Odessi-

---

[1]) C. I. G. II add. p. 997 no. 2056 e.

[2]) C. I. G. 2056 c.

[3]) Mitth. des deutsch. arch. Inst. zu Athen IX pag. 218.

tani[1]) argumento niti, magnopere dolendum est. Cuius tituli reliqua sunt haec verba: Ἡρόσοδον Φαρνάγου (ἄ)ρξαντα τῆς πόλεως καὶ ἄρξαντα τοῦ κοινοῦ τῆς πενταπόλεως καὶ τειμηθέντα ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς πενταπόλεως.

Pentapolim igitur, quam quinque urbes effecisse nomine ipso indicatur, initiis imperatorum Romanorum aetatis tribuendam esse viri docti consentiunt. Cuius rei cum titulo certum indicium non praebeatur, causa repetenda videtur ex ratione, quam Pentapoli cum Hexapoli intercessisse statuamus necesse est. Nam Hexapolim, cum sex urbes sine dubio complecteretur, quae ipsae quoque in maris Pontici ora sitae erant, inde ortam esse, quod quinque Pentapolis urbibus sexta accederet, pro certo habendum est. Neque vero dubitari potest, quin Hexapolis Hadriano imperante iam fuerit; qua de re postea accuratius explicabimus. Pentapolim igitur aetate Hadriani imperatoris anteriorem fuisse, pro certo licet pronuntiare.

Jam si quaerimus, quae urbes eius communis participes fuerint, homines docti in ea re explananda magnopere inter se dissentiunt. Nam ut praeteream Beckeri[2]) opinionem, qui sine iusta causa de tituli origine Odessitana dubitat eumque Tomis urbi tribuendum proponit, Marquardtus[3]) et Perrotus[4]), uterque ut videtur Boeckhium secutus, has urbes enumerant: Istrum, Tomos, Odessum, Mesambriam, Apolloniam. Boeckhii igitur sententia, unde sit profecta, si investigamus, nititur titulo[5]) Mesambriae invento, qui trium urbium Tomorum, Istri, Apolloniae decreta honorifica exhibet. Cuius tituli superiore parte fracta duarum urbium decreta, nempe Odessi et Mesambriae, intercidisse Boeckhius persuasum habet, quod cognoscitur ex verbis titulo adscriptis: „Qui hoc monumento ornatus est a quattuor minimum vel potius a quinque urbibus videtur honoratus esse, nimirum ab urbibus Pentapolis, quae no. 2056 commemoratur“.

Quae argumentatio quamquam vehementer placet, dubitatione non caret. De initio enim tituli nihil certi in medium

---

[1]) C. I. G. 2056 c.

[2]) Jahrb. f. Philol. XIX l. c.

[3]) Marquardt: Röm. Staatsverw. I pag. 302.

[4]) Mémoires d' archéologie, d' épigraphie et d' histoire, pag. 192.

[5]) C. I. G. II add. no. 2053 d.

proferri posse Boeckhium ipsum non effugit, qui uniusne an duarum urbium decreta intercidissent, dubitaret. Gravius autem est, quod Beckerus suo iure monuit, dubitari posse, num oppida, quorum decreta in titulo congregata essent, inter se fuisse foederata recte statueremus. Ad sententiam comprobandam exempli gratia attulit titulum Olbiopolitanum [1]), quo Theoclem quendam complures urbes, in his ex urbibus Ponticis Tomi, Istrus, Odessus, Callatis honorant; sed de earum urbium, quarum aliae proximae, aliae remotissimae erant ab urbe Olbia, foedere cogitandum esse in titulo indicium non inest. Immo potius eam rationem inter Olbiam ceterasque urbes intercessisse, ut cives singularum urbium Olbiae peregrinorum loco habitarent, e tituli verbis: *ὧν ἐπεδήμουν οἱ ξένοι* cognoscitur. Quod si ex argumentatione, qua nonnulli viri docti usi sunt, cum certo fundamento careat, quidquam certi non efficitur, haud scio an argumentum afferre liceat, quod ab illis neglectum maximi momenti sit ad ordinem urbium foederatarum enucleandum. Finium enim provinciarum Romanarum quod ratio non est habita in urbibus Pentapolis enumerandis, offensionem habet. Nam cum aetati Romanorum demum Pentapolim tribuendam esse non sit cur neges, urbes unius provinciae illud commune effecisse verisimillimum est. Haec quidem sententia Romanorum mori, qui in communibus formandis aut admittendis singularum provinciarum fines respiciebant, maxime respondet; exemplum, quo duarum provinciarum urbes communis vinculo coniunctas esse demonstretur, afferre non licet.

Jam si quaerimus, utri duarum provinciarum, in quibus sunt sitae urbes Ponticae, commune Pentapolis tribuendum sit, ansam praebet titulus, quo tota Pentapolis cognitio nititur. Qui cum Odessi inventus sit, argumentum gravissimum praebet, Odessum urbem Pentapolis participem fuisse. Odessus autem urbs est Moesiae provinciae; cuius fines ceteras quoque urbes communis complexos esse, maximam habet probabilitatem, cum Thraciae provinciae anno 46 p. Chr. n. constitutae quas enumerant urbes, Mesambriam et Apolloniam ne annumeremus communi, ipso more, quem Romani sequi solebant, impediamur.

---

[1]) C. I. Gr. 2059.

Quas alterum commune effecisse verisimile est. Notum vero est *κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν,* ad quod rescriptum ab Antonino Pio imperatore factum commemoratur.[1]) Num Claudio ipso imperante, qua aetate Thracia in formam provinciae redacta est, hoc commune formatum sit, non constat; sed cum primum ortum esset, Mesambriam Apolloniam aliasque urbes Ponticas in Thraciae provinciae finibus sitas ei adiunctas esse statuendum videtur.

Quae cum ita sint, a Boeckhii eorumque, qui eum secuti sunt, sententia recesserim. Hercle vero recte iudicasse videtur Mommsenus[2]), qui Pentapolis urbes Moesiae provinciae finium ratione habita enumerat: Istrum, Tomos, Callatim, Dionysopolim, Odessum.

Jam si quaerimus, quomodo hoc urbium commune temperatum fuerit et quibus rebus dederit operam, quaedam cognoscere licet ex titulo saepe allato. Magistratus exhibetur verbis: *„ἄρξαντα τοῦ κοινοῦ τῆς πενταπόλεως“ ἄρχων.* Utrum civilis an sacerdotalis fuerit, e titulo non elucet. Sed munera eius similia fuisse muneribus Pontarchae, quem rebus sacris Hexapolis praefectum fuisse postea explicabimus, probabilitate non caret. Num ipse nomen gesserit Pontarchae, diiudicare non licet. Concilia deinde a foederatis civitatibus habita esse, quibus decreta conficerentur, inde probabiliter conicitur, quod Herosodum a communi Pentapolis honoratum esse titulo exponitur.

B. De Hexapoli.

De Pentapoli cum parum definite exponere liceat propter testimoniorum inopiam, accuratius disputari potest de communi Hexapolis, cum complures, qui huc spectant, tituli ex urbe Tomis innotuerint; in quibus commune eadem vi modo *κοινὸν τῶν Ἑλλήνων,* modo *ἑξάπολις* significatur. Altera significationum, quae est *ἑξάπολις,* commune sex urbes effecisse indicatur. Tituli in quibus communis mentio fit, altero p. Chr. n. saeculo anteriores non videntur; quorum unus, in quo *Ἀντινόου ἀγωνοθέτης* commemoratur, cuius sit aetatis, paulo accu-

---

[1]) Dig. 49, 1, 1.

[2]) Röm. Geschichte V pag. 283 adn.

ratius definire licet. Antinoum, clarissimum illum amasium Hadriani imperatoris, anno c. 130 p. Chr. n. mortuum esse constat. Utrum Antinoo vivo an paulo post eius mortem certamina, quibus T. Flavius Posidonius praefectus erat, Tomis instituta sint, non potest diiudicari; ea Hadriano imperante originem cepisse maximam habet probabilitatem, neque titulum ipsum eius imperatoris aetate conscriptum esse improbabile est; quo tempore si recte iudicavimus, Hexapolim iam fuisse tituli verba: *Ποντάρχης καὶ ἄρξας τῆς ἑξαπόλεως* ad Posidonium relata argumento sunt. Posidonii pater Phaedrus in eodem titulo Pontarches nominatur; quem ipsum Hexapoli nonnullis annis ante praefuisse verisimile est.

Eam autem rationem inter Pentapolim et Hexapolim statuendam esse, ut ad quinque Pentapolis urbes cum sexta accessisset, Hexapolis facta sit, omnes viri docti, qui de ea re disputarunt, persuasum habent. Cui sententiae cur repugnemus, nihil est causae. Jam quaerendum est, cuius urbis accessione Pentapolis aucta sit. Viri docti, qui duarum provinciarum finibus et Pentapolis et Hexapolis urbes assignant, magnopere dubitant, Dionysopolisne an Callatis quinque Pentapolis urbibus annumeranda sit, ut Hexapolis numerum urbium expleant. Ad eas autem urbes, quae in Pentapolis urbibus enumerandis sine iusta causa neglectae sunt, eo tempore, de quo nunc agitur, tertia accedit, cuius ab illis viris doctis ratio non habetur. Marcianopolis, a Traiano imperatore haud procul ab Odesso condita, inter Hexapolis urbes nullum invenit locum, si illos sequimur. Re vera si argumentatio qua utuntur recte se haberet, difficillimum esset diiudicare, quae ex iis urbibus eligenda esset. Quae difficultas nequaquam apta ad argumentationem, e qua oritur, comprobandam, plane nulla est, si ante recte de Pentapolis communi disputatum esse concesseris. Nulla enim alia urbium Moesiae provinciae relinquitur, qua Pentapolis aucta et in Hexapolis formam redacta sit, nisi Marcianopolis. Quae urbs quin foederatis urbibus Pentapolis accesserit itaque Hexapolis sit facta, non iam dubitari potest. Temporis quoque ratio huic sententiae maxime favet. Pentapolis enim, quam aetati imperatorum ineunti consensu omnium virorum doctorum vindicavimus, Traiano, a quo Marcianopolis condita est, vel Hadriano

imperante, quo tempore Hexapolim fuisse ante vidimus, Marcianopolis urbis accessione Hexapolis facta est.

Ordo igitur urbium Hexapolis a Mommseno[1]) primo propositus, qui continet: Istrum, Tomos, Callatim, Dionysopolim, Odessum, Marcianopolim, recte se habet.

Caput communis Hexapolis erant Tomi, quae urbs inde a Traiano imperatore et in titulis et in nummis saepenumero nomen „*μητρόπολιν*“ habet.

Jam de magistratibus Hexapolis exponamus necesse est. *Ποντάρχην* magistratum *τοῦ πόντου* fuisse nomine ipso indicatur. Cuius potestatis fines quin iidem fuerint atque *τῆς ἑξαπόλεως*, vix potest dubitari. Notiones enim *πόντον* et *ἑξάπολιν* eadem vi in titulis usurpatas esse verisimile fit duobus ex titulis, in quorum altero *μητρόπολις τοῦ πόντου*[2]), quae vox de urbe Tomis usurpatur, significare videtur principalem, quem Tomi inter Hexapolis urbes obtinent locum, altero[3]) Hexapolis *Ποντάρχης* honoratur appellatione „*υἱὸς τοῦ πόντου*“. Quod utcumque se habet, ex genetivo *τῆς ἑξαπόλεως*[4]) nomini Pontarchae adiuncto vel ex participiis *ἄρξαντα τῆς ἑξαπόλεως*[5]) et *ἄρξαντα τοῦ κοινοῦ τῶν Ἑλλήνων*[6]) ad Pontarcham referendis cognoscitur, quibus finibus Pontarchae potestas circumscripta sit. Ut cognoscatur, quae Pontarchae munera fuerint, cum ex titulis nihil fere erui possit, ad aliarum provinciarum instituta recurramus necesse est. Maxima similitudo Pontarchae intercedit cum Romanorum in Asiae provinciis magistratibus, qui a provinciis nomina habebant. Ut *Ἀσιάρχης* ab Asia provincia, *Γαλατάρχης* a Galatia, *Βιθυνιάρχης* a Bithynia appellatus est, sic *Ποντάρχης* magistratus, ut ita dicam, eponymus est „*τοῦ πόντου*“ vel „Hexapolis“, quam vocem eandem vim habere atque „Pontum“ magna cum probabilitate ante statuimus. Deinde autem Pontarches congruit cum illis Asiae provinciarum magistratibus eo, quod ut illi communibus

---

[1]) Mommsen, Röm. Gesch. V l. c.

[2]) Mommsen, Röm. Gesch. V l. c.

[3]) Perrot: Mém. p. 447.

[4]) Mitth. aus Oestr.-Ungarn VI no. 44.

[5]) Mommsen, R. G. V l. c.

[6]) Mommsen, R. G. V l. c.

singularum provinciarum, ipse Hexapolis communi praefectus erat. Illorum autem communium Asiae summa vis in eo posita erat, ut in honorem Caesarum dies festos instituerent et ludos sacraque agerent.

Idem de Hexapolis communi statuendum esse pro certo pronuntiari potest. Magistratus igitur provinciae eponymus rebus sacris totius provinciae praefectus erat, ludos communes instituebat, ad quos magnifice agendos ipse haud raro magnas impensas e sua pecunia faciebat. Quo munere in Hexapolis communi Pontarcham functum esse pro certo habendum videtur. Viris nobilibus divitibusque potissimum Pontarchae munus mandatum esse tituli[1]) Tomorum urbis argumento sunt. Praeter Pontarcham magistratum invenimus in Hexapolis singulis urbibus *ἀρχιερέα*.[2]) Tomis Pontarchae et Pontificis maximi, ut voce latina utar, munera ab eodem viro haud raro administrata esse ex titulis Tomitanis elucet. Sed nusquam *ἀρχιερεύς* magistratus ita commemoratur, ut munera eius ad Hexapolim referantur. Cum suum quaeque urbs *ἀρχιερέα* habuisse videatur, iis sacerdotiis, quae in singulis urbibus in honorem imperatorum instituta essent, Pontifices maximos functos esse, verisimillimum est.

Caput III.

De singularum civitatium Ponticarum re publica ac magistratibus.

Quoniam de communibus urbium Ponticarum dixi, iam ut mihi propositum est, ad tertium caput dissertationis pervenio, quo de re publica ac magistratibus singularum civitatium exponere in animo est. Qua in re explananda initium capiamus ab urbe Tomis, de cuius institutis propter copiam titulorum ac-

---

[1]) Mommsen, Röm. Gesch. V; Monatsber. der Berl. Akad. 1861, II pag. 1041.

[2]) a) Tomi: Mitth. a. Oestr. VI no. 41, no. 44. b) Odessus: Rev. archéol. XXXV (1878) p. 112 no. 5. c) Istrus: Annali dell' Inst. 1868 p. 93. d) Dionysopolis: Mitth. aus Oestr. X p. 184 no. 2. no. 3.

curatius iudicare licet, quam ceterarum urbium. Deinde de urbibus Odesso, Apollonia, Mesambria, Callati, Istro, Dionysopoli, Anchialo loquar.

A. Tomi.[1]

Quamquam Tomorum urbis plures tituli quam ceterorum oppidorum innotuerunt, tamen id dolendum est, quod omnes praeter unum, quem Romanorum imperio priorem putat Perrotus[2]), imperatorum Romanorum demum temporibus, praecipue inde a Traiani principatu, qua aetate Tomi effloruerunt magnasque opes assecuti sunt, conscripti sint. Quam ob rem cum ne scriptorum quidem ex libris quidquam cognoscatur, nihil certi in medium proferri potest, quo modo res publica Tomitana antiquissimis illis temporibus, quibus Milesii coloniam deduxerunt, temperata et quas mutationes per longum temporis spatium passa sit.

Nonnulla autem aetatis Romanae instituta prioribus temporibus iam fuisse certum est. Jam vero ad singula, quae ex titulis cognoscere liceat, accedamus.

I. De divisione civitatis Tomitanae.

Ad originem Tomorum urbis, quae colonia dicitur Milesiorum, Jonicam spectat divisio civitatis in tribus, quibus nomina tribuum proprie Jonicarum sunt. Ac primum quidem nota est tribus *Ἀργαδέων.*[3]) Cum de hoc nomine minime dubitari possit, aliter res se habet in titulo[4]), ubi vocem „*Αἰκορέων*“ legimus. Quae vox quin de tribu Tomorum urbis intellegenda sit, non iam dubium est, cum in altero[5]) titulo Tomitano huic voci adiectum inveniamus vocabulum *φυλήν*. Perroti sententia, fieri potuisse, ut lapicidae errore haec forma pro vulgari *Αἰγικορεῖς* in textu poneretur, non iam teneri potest, cum duabus inscriptionibus forma *Αἰγικορεῖς* exhibeatur. Si in urbe Callati nomen

[1]) Jahrb. f. kl. Philol. XIX suppl. pag. 325 sqq. Perrot, Mém. pag. 185 sqq.; pag. 447 sqq.

[2]) Mém. pag. 191.

[3]) Perrot, Mém. pag. 447; *Φιλολ. ἑλλην. συλλ.* IV (1871) p. 106.

[4]) Mitth. aus Oestr. VIII pag. 12 no. 32.

[5]) *Ἑλλην. συλλ.* (1871) IV pag. 106 no. 5.

Αἰγικ[*ορεῖς* dubitatione caret, antiquitus Tomitarum quoque hanc formam propriam fuisse putare licet. Jam si quaerimus, quomodo brevior forma *Αἰκορεῖς* facta sit, causa repetenda videtur ex consonae *γ* pronuntiatione. Quam litteram ante aetatem Romanam vel ipsa aetate Romana, cui tituli formam *Αἰκορεῖς* exhibentes assignandi videntur, in Tomitarum sermone proxime ad litterae *j* naturam accessisse ex forma *Αἰκορεῖς* non sine magna veritatis specie concludas.*)

Quod plus duo haec nomina non innotuerunt, causam praebere non potest, ceteras duas tribus proprie Jonicas Tomis fuisse cur negemus. De quibus nihil nos cognitum habere propter titulorum inopiam verisimile est. Nota autem est tertia tribus *Ῥωμέων*[1]), quae quo tempore ceteris addita sit, accuratius definiri non potest. Romanorum imperatorum aetate eam ortam esse, quod nomen ipsum monere videtur, magnam habet probabilitatem.

Singulis tribubus praeerat *φυλάρχης*, qui magistratus in duobus titulis commemoratur. Alter magistratus tribus, si lacuna recte expleta est, tituli[2]) verbis: [*τοῦ δή*]*μου τῆς τε φυ*-[*λῆς οἱ γρα*]*μματεῖς* praebetur, nempe *γραμματεύς*. De muneribus eius nihil constat; minore dignitate eum fuisse, quam phylarcham, quem fortasse in rebus tribus administrandis adiuvabat, verisimile est.

Commemoratu hoc loco dignus est titulus *προστάτης*, qui Posidonio Pontarchae in decreto tribus *Ἀργαδέων*[3]) tribuitur. Magistratum tribus hoc titulo significari negandum puto; sine dubio de appellatione honorifica cogitandum est sic, ut Posidonius propter merita in tribum patronus tribus appellatus sit.

---

*) Nescio an idem cadat in pronuntiationem volgarem *ὀλίος* pro *ὀλίγος*, cuius vestigia praeter comicorum Atticorum irrisiones etiam in titulis inventa sunt (F. Blass: Aussprache des Griech., pag. 92; H. v. Herwerden: Lapidum de dialecto Attica testim., p. 60) et in duplicem urbis Arcadicae nominis formam *Φιγάλεια* et *Φιάλεια*.

[1]) Perrot: Exploration de Galatie, no. 48.

[2]) Mitth. aus Oestr. VI no. 48.

[3]) Perrot: Mém. pag. 447.

II. De senatu ac populo civitatis Tomitanae.

Quae rei publicae forma Tomitis ante imperium Romanorum fuerit, ignoratur; sed inde a Traiano imperatore Tomis floruisse populare imperium ex praescriptis titulorum usitatissimis: „ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος" vel „κατὰ τὰ δόξαντα κ. τ. λ." elucet. Quae ratio in re publica administranda senatui cum populo intercesserit, accuratius diiudicare non licet. Magni aestimatum esse a Tomitis in senatorum numero fuisse inde concludi potest, quod Pontarchae[1]) tribuitur titulus honorificus βουλευτής.

Cum senatus populusque summam totius rei publicae potestatem habuisse videatur, res singularum tribuum a tribubus ipsis earumque magistratibus administratas esse verisimile est. Singulis tribubus potestatem datam esse concilia habendi atque de suis rebus deliberandi, concludas ex titulo, quo tribus Ἀργαδέων magistratum phylarcham honorat. Populari deinde imperio optime respondet, quod magna licentia societatum conciliandarum cives Tomitani usi sunt. Societas naviculariorum „οἶκος τῶν ἐν Τόμει ναυκλήρων" in titulo publici iuris facto a Froehnero (Les inscriptions grecques, no. 77) commemoratur. Creberrimae sunt sodalitates civium Tomitanorum, qui cultui ac sacris singulorum deorum operam dant; de quibus postea exponemus. Eodem iure atque cives Tomitani peregrini quoque usi sunt. Invenimus enim οἶκον τῶν Ἀλεξανδρείων[2]), quam societatem de negotiantibus Alexandriae urbis, qui in urbe Tomis consederint, intellegendam esse verisimile est.

III. De magistratibus.

Magistratuum Tomitanorum varia genera fuerunt. Sed de natura atque officiis singulorum magistratuum ex titulis ipsis, qui plerumque nihil nisi nomina contineant, perpauca cognoscuntur. Quapropter passim ad aliarum civitatium similia instituta et ad coniecturas recurrere liceat.

Magistratus civitatis Tomitanae in duobus[3]) titulis verbis:

---

[1]) Mommsen, Röm. Gesch. V l. c.

[2]) Mommsen, Röm. Gesch. V p. 284.

[3]) Mommsen, Röm. Gesch. V p. 283. Monatsber. der Berl. Akad. (1861) II, pag. 1041.

„ἄρξας τὴν πρώτην ἀρχήν“ commemoratur. Ut qui magistratus intellegendus sit, cognoscatur, disputatio proficisci debet a duabus quae insunt in voce „ἄρχοντες“ significationibus, quarum altera pertinet ad omnes magistratus, qui rei publicae administrandae operam dant, altera ad aliquot magistratus, qui singulari modo archontes nominati in plerisque civitatibus collegium efficiebant. Verba igitur „ἄρξας τὴν πρώτην ἀρχήν“ significant sive omnium magistratuum primum ac summum, qui plerumque eponymus est, sive principem in complurium archontum collegio. Complures autem ἄρχοντας in civitate Tomitana statuendos esse comprobari videtur ex titulorum consuetudine, ex qua simplex vox „ἄρξας“ sic exhibetur, ut de magistratu cogitandum videatur, qui singulari nomine archontis significatur neque idem archon eponymus est. Nam si ad archontem eponymum vox „ἄρξας“ referenda esset, futurum fuisse, ut in titulis verba: „τὴν πρώτην ἀρχήν“ vel aliud simile voci „ἄρξας“ adderentur, exspectares. Sed ne de quovis magistratu cogitemus, primum eo impedimur, quod ea definitio muneris nimis ambigua esset. Deinde huic „ἄρξαντι“ in uno[1]) titulo ea munera mandantur, quae in nullum alium magistratum nisi maioris dignitatis quadrent. Quam ob rem cum et πρῶτος ἄρχων notus sit et alii archontes ex usu vocis „ἄρξας“ in titulis usurpatae enucleandi videantur, quid magis consentaneum est, quam archontes collegium effecisse eiusque principem fuisse πρῶτον ἄρχοντα putare? Utrum idem archon eponymus fuerit, necne, non liquet. Summa vero dignitate eum fuisse inde quoque patet, quod ex titulis supra allatis eum etiam muneribus Pontarchae et Pontificis maximi, quae nobilibus et divitibus viris mandari solerent, functum esse scimus. Quot archontes Tomis fuerint quibusque muneribus singuli functi sint, diiudicari non potest. Uno ex titulo[2]) archontem legationem ad imperatorem obiisse compertum habemus[3]). In eadem inscriptione ad archontem referenda sunt verba: „ἐκδικήσαντα πιστῶς“; quamquam suam quaeque urbs administrationem habebat, tamen provincia Moesia instituta singulas urbes etiam provinciae ad-

[1]) Mitth. aus Oestr.-Ungarn VI n. 42. [2]) ibidem.

[3]) Quod munus aliarum quoque civitatum archontibus mandatum est; cf. tit. Istriopolis: Annali dell' Inst. 1868 p. 93.

ministrationis participes fuisse certum est, neque potest dubitari, quin singulis urbibus quaedam negotia cum praefecto provinciae fuerint. Exstat autem Plinii locus[1]), ex quo ecdicum Amisenorum civitatis Plinium legatum provinciae Ponti et Bithyniae, adiisse, ut componeret rem, quae civitati Amisenorum cum Julio Pisone esset, compertum habemus. In urbe Tomis igitur archontem munere cum praefecto provinciae agendi functum esse, atque hoc significari voce „ἐκδικῆσαι", magnam habet probabilitatem.

Jam nonnulli magistratus, qui minores dicuntur, laudandi sunt. Quoniam ante phylarcham et tribus scribam commemoravi, reliqui sunt tres, de quibus in titulis compertum habemus: *γραμματεὺς τοῦ δήμου, ἀγορανόμος, γυμνασιάρχης.*

Scriba populi una cum scriba tribus commemoratus[2]) quibus muneribus functus sit, ex titulo ipso non cognoscitur. Sed munera eius similia fuisse muneribus scribae populi aliarum civitatium Jonicarum[3]) verisimile est.

Ἀγορανόμος[4]) magistratus sine dubio similis erat magistratui eiusdem nominis in aliis Graecorum civitatibus. Foris rerum venalium eum praefuisse verisimillimum est.[5])

Γυμνασίαρχον[6]) curam rerum ad iuvenum educationem pertinentium habuisse exemplis aliarum Mileti urbis coloniarum, ut Cyzici[7]), comprobatur. Tomitanos quoque iuvenes in plures partes vel plura corpora divisos esse Tocilescu[8]) opinatur atque titulum in fine deperditum ita restituit, ut legendum esset: *ἐφήβο[υς τῶ]ν προηγου[μέν]ων. Προηγουμένους* natu maiores esse epheborum persuasum habet. Quae divisio in nulla alia civitate reperitur. Argumentum, quo Tocilescu sententiam

---

[1]) Plinii epist. 110 (111).

[2]) Mitth. aus Oestr. VI n. 48.

[3]) Conferas *γραμματέα τοῦ δήμου* in titulo Ephesi urbis: C. I. Gr. 2961 b.

[4]) Perrot: Mém. p. 185. Mitth. aus Oestr. VI p. 24 n. 49.

[5]) Cf. tit. Mesambriae urbis: Dittenberger, Syll. 339.

[6]) Mitth. aus Oestr. VI n. 48.

[7]) Kersten: De Cyzico nonnullisque urbibus vicinis quaest. epigr. Diss. Hal. 1886 p. 21.

[8]) Mitth. aus Oestr. VI pag. 51.

confirmare studet, non multum valet, cum tituli[1]) lectio incerta sit. Res igitur melius in medio relinquitur.

Jam ad magistratus sacerdotales transeamus. De Pontarcha, qui Hexapolis rebus sacris praeerat, et de Pontifice maximo, qui sacerdotio Caesarum in urbe Tomis fungebatur, supra exposui. Hoc loco commemorare liceat praeter Caesares alios quoque viros, qui imperatorum amici essent, magnis honoribus affectos esse. Antinous, famosus ille Hadriani imperatoris amasius, in deorum numerum relatus et ludis, quos adornandi munus collegio agonothetarum fuisse ex titulo[1]) colligere licet, honoratus est.

Praeterea quae cultus instituta, qui magistratus sacerdotales in urbe Tomis fuerint, inquiramus. Milesios, qui colonia in oram Ponti Euxini deducta civitatem Tomitanam condiderunt, in sacris ac diebus festis instituendis imprimis eorum deorum rationem habuisse, quos antea in patria coluissent, certum est. Dignum quod commemoretur nomen est „*Ἑλικώνιος*“, quod in titulo Tomitano[3]) Neptuno adscriptum invenimus. Neptunum Heliconium, cuius in honorem *κοινὸν τῶν Ἰώνων* in promunturio Mycale Panionia agebat, ante ferias communes institutas unamquamque earum urbium, quae Jonum communis sociae erant, veneratam esse verisimile est.[4]) Coloni Tomorum urbis ex metropoli Mileto, cuius urbis *Ἑλικώνιον* Pausanias[5]) testatur, Neptuni Heliconii cultum in urbem Tomos transtulisse videntur. Jam si nonnullorum deorum cultus ad originem urbis Jonicam referendus videtur, ab altera parte magni momenti esse debebant religionis et cultus instituta eius terrae, cuius in finibus Tomi siti erant; nempe Thracum ut dei et sacra a Tomitis neglerentur, fieri non poterat. Invenimus autem apud Thraces cultum dei *Ἥρωος*. Testimonium vetustissimum titulo[6]) praebetur, qui quinto a. Chr. n. saeculo conscriptus videtur. Magnus est numerus titulorum aetatis Romanae, in quibus

---

[1]) Journal of hellenic studies III, 125.

[2]) Perrot: Mém. 447.

[3]) *Φιλολ. Ἑλλ. συλλ.* (1871) IV p. 106.

[4]) Köhler: Mitth. des deutsch. arch. Inst. zu Athen X p. 32.

[5]) lib. VII, 4, 5.

[6]) Rev. archéol. 1876 p. 182; Kaibel: epigr. graeca, n. 841.

Ἥρωος mentio fit.[1]) Quorum titulorum etiamsi de nonnullis dubitari potest, utrum ad Heroem deum an ad viros, qui post mortem in heroum numerum recepti sint, referri debeant, id pro certo habendum est, deum Heroem, qui iam antiquissimis temporibus coleretur, Romanorum aetate apud Thraces non in ultimis habitum esse. Cuius dei cultum quamquam quo tempore a Tomitis receptus sit, ignoratur, Tomis aetate Romana fuisse ex duobus titulis colligendum videtur. Ac primum huc spectare verisimile est inscriptionem[2]) Latinam, cuius in altero versu invenitur dativus „Heroi"; quem ut de deo Heroe, cui Q. Trebellius monumentum dedicaverit, intellegas, litterae etiam primi versus, quae leguntur I. O. M., monere videntur; quae ipsae deum et eum optimum maximum significant, quem monumento posito Trebellius honorat. Plus autem valet titulus Graecus.[3]) Primi versus vocem *Ἥρωα* significare deum vel inde colligas, quod nihil nisi simplex nomen *Ἥρως* exstat. Nonne si de certo viro cogitandum esset, futurum fuisse, ut accuratius eius nomen exhiberetur, exspectas?

Gravius est, quod totius tituli argumento adducimur, ut de deo cogitemus. Invenimus enim indicem eorum, qui Heroem monumento honorant. Qui quin collegium ad Heroem colendum effecerint, dubitari non potest. Singuli enim, quorum nomina afferuntur, partim *συναγωγοί*, partim *φιλότειμοι* appellantur; quarum significationum utraque aliis locis de iis usurpatur, qui societatem efficiunt. Inter synagogos nonnulli accuratius eo definiuntur, quod adscriptum est, quo munere functi sint. Quam societatem cultui unius viri, qui post mortem in numerum heroum relatus esset, operam dedisse vix credibile est. Immo potius de deo Heroe cogitandum videtur, quem haec potissimum societas venerabatur. Quod statuendum esse titulus[4]) Olynthi urbis videtur argumento esse, quo *ἀρχισυναγωγός* i. e. princeps synagogorum *θεοῦ Ἥρωος* et collegium, sine dubio a synagogis effectum, commemoratur.

---

[1]) Dumont: Inscript. de la Thrace 1876 (Archives des missions scientifiques III [1876] p. 117).

[2]) Revue archéol. XXXVI (1876) p. 294.

[3]) Mitth. aus Oestr.-Ungarn VI n. 39.

[4]) Duchesne et Bayet: Mission au mont Athos, n. 119 (Archives des miss. scientifiques III p. 272).

Magistratuum vel curatorum nomina, quae in titulo afferuntur, dubia non sunt, nisi illud unum nomen Secundo praescriptum, litteris „*δην*" terminatum. Tocilescu lapidis apographo nixus substantivum, quod derivatum ab „*ἐφύμνιον*" vel ab „*ἐφυμνεῖν*" idem fere significat atque *ὑμνῳδός*, intercidisse verisimile putat. Deinceps in titulo commemoratur *ἱερέα Βούτεις*. Feminas saepenumero in civitatibus Graecis muneribus sacerdotalibus functas esse constat. In mysteriis Cereris et Proserpinae administrandis *ἱερειῶν* magnam partem fuisse titulorum testimoniis comprobatur. Tomis quoque ad res collegii sacras curandas feminas adhibitas esse ex titulo discimus.

Γραμματέως munus muneri eiusdem nominis aliarum sodalitatum simile fuisse atque eo constitisse, ut decreta incidenda et ponenda curaret[1]), verisimile est.

Νομοφυλάκων officium fuisse, cives qui legibus parerent laudibus atque honoribus afficere, eos autem, qui contra leges agerent, multare Xenophon[2]) testatur; qua cum muneris explicatione non differt illud Ciceronis[3]), quo nomophylaces facta hominum observasse ad legesque revocasse dicuntur. In Herois dei collegio nomophylacem simili ratione curam custodiamque earum legum, quae a sodalitate latae essent, habuisse verisimillimum est.

Quibus muneribus *ἔκδικος* functus sit, non liquet. Inter thiasotarum, qui Bacchi mysteriis operam dant, nomina invenitur *ἔκδικος* in titulo in vicinia Apolloniae reperto.[4]) Ex aliis titulis, ubi hoc munus simili vi usurpari videtur, de officiis eius nihil cognoscitur.[5])

Ἱεροκήρυκος denique videtur fuisse, decreta societatis pronuntiare.[6])

Hic paucis absolvam necesse est, quid iudicandum sit de

---

[1]) Foucart: Associations rélig., n. 4. n. 5.

[2]) Xenophon: Oecon. cap. 9, 14.

[3]) Cicero: de leg. III, 20.

[4]) C. I. Gr. 2052.

[5]) Dumont (Archives des miss. scient. III) Inscript. de la Thrace, n. 57 a: *ἔκδικος* tribus videtur exhiberi (cf. Rev. archéol. XXXVI [1878] p. 298); no. 55 *ἔκδικος γερουσίας* commemoratur.

[6]) Cf. Foucart: Associations rélig., no. 46; Dittenberger: Syll. 150, 21; 155, 18.

titulo „φιλότειμος“. In inscriptione, ex qua de Herois cultu compertum habemus, synagogis complures φιλότειμοι adiunguntur, quorum nomina in fine inscriptionis afferuntur. Inter synagogos ipsos nonnullis titulus φιλότειμος praescriptus est et iis quidem, quibus nomen magistratus vel curatoris adiectum non est. Haud scio an distinguendi sint in synagogorum numero ii, qui muneribus funguntur, et ii, qui dicuntur φιλότειμοι. Adiectivum „φιλότειμος“ proprie significat eum, qui honoris cupidus est; inde facile altera vis derivatur, quae est: „ex honoris cupiditate studiosus“. Quae vis adiectivi cum bene ad eos quadraret, qui liberalitate ac beneficentia praestitissent, fieri potuit, ut adiectivum, in quo inesset appellatio honorifica, loco tituli poneretur. Neque aliam vim in iis titulis habet, qui ad mysteria pertinent. In quibus eos φιλοτείμους nominatos esse, qui propter liberalitatem bene meriti ad certum gradum inter sodales collegii pervenissent, pro certo pronuntiandum videtur. Si quis opponat, in aliis titulis magistratibus ipsis hunc titulum adscriptum esse, hoc inde explicetur, quod magistratus ex ordine φιλοτείμων creati titulum honorificum servaverint. Cum nomen φιλότειμος in titulis ad mysteria pertinentibus saepissime inveniatur, unus titulus sepulcralis exhibet verba: „Χρῆστος Ὀλοκάλου φιλότειμος φυλῆς Αἰκορέων“ [1]). Kumanudis hoc loco „φιλότειμον“ vocabulo „λειτουργός“ recte explicat [2]). Cavendum autem est, ne „φιλότειμος“ cum genetivo „φυλῆς“ coniungatur. Φιλότειμος in hac quoque inscriptione tituli honorarii vim habet significans Χρῆστον liberalitate de collegio, cuius erat, bene meruisse. Dignum est quod commemoretur compendium scripturae φι, quod compluribus nominibus, compendium ἐκ, quod uni nomini adiectum videmus in titulo Tomitano [3]). Alterum quin „φιλότειμος“, alterum quin „ἔκδικος“ supplendum sit, dubium non est. Quibus nominibus adscriptis titulum indicem mystarum continere verisimile fit. Aliquid miri habet, quod inter eos unus, cui adscriptum est nomen „δοῦλος“, invenitur.

---

[1]) Φιλολ. Ἑλλ. συλλ. IV (1871) p. 106 no. 5.
[2]) Perrot: Mém. p. 197.
[3]) Mitth. aus Oestr. VI no. 50.

Inde ab Hadriani imperatoris aetate Aegyptiorum potissimum res sacrae Tomis valde florebant.

Sed quantum ex titulorum argumentis magna cum probabilitate colligitur, illae res sacrae non tam civibus Tomitanis curae erant, quam peregrinis, qui Tomis negotiorum faciendorum causa commorabantur. Invenimus enim „*οἶκον τῶν Ἀλεξανδρείων*“[1]; quam societatem, cum Alexandrini effecissent, ex naviculariis constitisse cum per se verisimile est, tum respecta altera societate „*οἶκος τῶν ἐν Τόμει ναυκλήρων*“ magnam habet probabilitatem. Utrum *οἶκος τῶν ναυκλήρων* idem sit atque *οἶκος τῶν Ἀλεξανδρείων* necne, non liquet. Jam si quaerimus, quae vis huic societati Alexandriae urbis naviculariorum tribuenda sit, titulo ipso nonnulla indicia praebentur. Inter eos deos, quibus *βωμός* dedicatur, primo loco commemoratum invenimus Sarapidem, qui vocatur *Θεὸς μέγας*; magistratus eponymi sunt *ἱερεῖς*; *Φαρμουθί* mensis Aegyptiorum fastos sequitur. Quae cum ita sint, vix potest dubitari, quin sodales cultui et sacris eorum potissimum deorum operam dederint, quos ex patria in urbem Tomos transtulissent. Serapiastarum collegium Tomis fuisse Tocilescu[2] ex titulo Tomitano colligit. Similitudo quidem, quae huic decreto est cum duobus decretis apud Foucartum[3], huic sententiae favet.

Jam singula, quae ex titulo ipso cognosci possint, inquiramus. Dubium non est, quin Tomis *ἱερὸν τοῦ Σαράπιδος* fuerit; quo in templo ut decretum ponatur, inscriptionis ultimis verbis praescribitur. Tituli autem nomen feriarum atque nomen eius dei, cuius in honorem feriae actae sint, expleatur necesse est. Tocilescu cum *[τῆς Ἴσιδ]ος τοῖς [καλου]μένοις Χα[ρμο]σύνοις* coniecit, recte lacunam explevit. Nam cum ad nomen feriarum restituendum levi tantum medicina opus sit, decretum thiasotarum urbis Cii Bithyniae[4], ubi *Χαρμόσυνα τῆς Ἴσιδος* commemorantur, secutus nomen *Ἴσιδος* in titulo restituere et *Χαρμόσυνα* ferias ad Isidem deam referre facile animum inducas.

---

[1]) Cf. tit. in Momms. Röm. Gesch. V p. 284.

[2]) Mitth. aus Oestr. VI no. 46.

[3]) Assoc. rélig. no. 24; no. 42.

[4]) Foucart: Assoc. rélig. no. 66.

Isidis cultum ut in urbe Tomis fuisse statuamus, eo quoque monemur, quod Sarapidem deum sacerdotes et templum habuisse scimus. Eosdem sodales *τοῦ οἴκου τῶν Ἀλεξανδρείων* Isidem quoque veneratos esse, quae soror vel coniux Serapidis putaretur, certum est.[1]) *Χαρμόσυνα* feriae quo modo a thiasotis actae sint, non liquet. Ex Plutarchi loco[2]) nihil aliud cognoscitur, nisi diem festum *Χαρμοσύνοις* similem apud Aegyptios quoque celebratum eiusque nomen fuisse „*σαίρει*". Nomine ipso „*Χαρμόσυνα*" ferias fuisse hilares atque laetas indicatur neque ineptum est, quod Foucartus opinatus est, cogitandum esse de pompa, quae in deae honorem facta sit.

Cybelae sacerdotium Tomis fuisse cognoscitur ex titulo[3]), quo Sossia Africana, quod Cybelae sacerdotio optime functa sit deamque aureis donis exornaverit, ex senatus populique decreto honoratur.

Denique sacerdotia Plutonis, Cereris, Proserpinae in titulis commemorantur.[4])

B. Odessus.

Quae rei publicae forma Odessitani Romanorum imperatorum aetate usi sint, ex titulis illius aetatis, qui sint perpauci, non elucet. Sunt autem duo tituli, quorum alter[5]) tertio a. Chr. n. saeculo, alter[6]) secundo a. Chr. n. saeculo confectus videtur, ex quibus Odessitanorum civitatem illis saeculis ita temperatam esse cognoscitur, ut a senatu et a populo gubernaretur. Praescripta enim est illis titulis formula in decretis populari imperio civitatium usitatissima: *Ἔδοξε τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι.* Quam rei publicae formam popularem Odessitanis etiam aetate Romana fuisse cum per se verisimile est, tum inde colligi

---

[1]) De cultu deorum Alexandrinorum cf.: Histoire du culte des divinités d' Alexandrie: Sérapis, Isis, Harpocrate etc., par Georges Lafaye (Bibliothèque des écoles françaises d' Athènes et de Rome, Fascicule 33 [1884]).

[2]) Isis et Osir., c. 29.

[3]) Mitth. aus Oestr. VI no. 45.

[4]) Mitth. aus Oestr. VIII (1884) p. 8; VI no. 41.

[5]) C. I. Gr. 2056^b = Mitth. aus Athen IX (1884) pag. 225.

[6]) C. I. Gr. 2056.

potest, quod ceterae quoque urbes Ponticae, in his Tomi, Istrus, populari imperio illis temporibus usae sunt.

De divisione civitatis Odessitanae nihil compertum habemus, nisi vocem „*κώμην*“, quam in fine tituli[1]) magnopere mutilati legimus, de pago quodam Odessi urbis intellegere animum induxeris. Lampsaci, quae urbs ipsa quoque a Milesiis condita est, praeter divisionem civium in *φυλάς* et *ἑκατοστῦς* alteram invenimus divisionem in *κώμας*; quod quidem magna cum probabilitate ex titulo urbis[2]), in quo *κωμάρχαι* commemorantur, collegeris. Odessum quoque urbem in complures pagos divisam esse et ad unum eorum spectare tituli vocem „*κώμην*“ verisimillimum est.

Quod ad senatum Odessitanorum attinet, unius tituli argumentum, quod accuratius tractetur, dignum est. Titulus[3]) est hic: *Οἱ πρυτάν[εις] ἐστεφάνω[σαν] ἐπιμηνιεύσα[ντας] Ἀπολλώνιον Σίμωνος Καλλίμαχον Φανέρου καὶ γραμματέ[α] Θέσσαλον Ἀρτεμιδώρου.*

Mordtmannum sine iusta causa hunc titulum comparare cum titulo a Curtio in Herma[4]) edito, ubi qui sacrificia curat, Menas quidam non *ἐπιμήνιος* esset, sed sacra alia administraret ut sacerdos (v. 26—27), alia ut gymnasiarchus (v. 311 sq.), recte Doermerus[5]) admonuit. In titulo ipso nullum indicium inest, quo *ἐπιμηνιεύσαντας* ad gymnasii magistratus referre cogamur. Verbum „*ἐπιμηνιεύσαντας*“ ad duos viros relatum nihil aliud significat nisi eos viros muneribus *ἐπιμηνίων* functos esse. Vox igitur „*ἐπιμήνιος*“ duas habet significationes, alteram ad rem publicam, alteram ad res sacras pertinentem.[6]) Quarum utra in titulo insit, iam inquiramus. Cum *πρυτάνεις* sine dubio senatores intellegendi sint, qui per mensem negotia quotidiana senatus curent, quid magis consentaneum est, quam *ἐπιμηνίους,* qui a senatoribus coronentur, ex senatorum ordine

[1]) Mitth. aus Athen X p. 320.

[2]) C. I. Gr. 3641^{b} v. 66.

[3]) Rev. archéol. XXXV (1878) p. 111; Mitth. aus Athen X p. 315.

[4]) VII pag. 114.

[5]) Doermer: De sacrificulis, qui *ἱεροποιοί* dicuntur, diss. Argentarot. 1883.

[6]) Waddington ad „Le Bas: Asie Mineure 1440“.

esse putare? Ἐπιμηνίους autem eadem munera atque prytanes administrasse, quae quidem vis haud raro in voce „ἐπιμήνιος" inest[1]), nullo modo statuere licet. Alteram vero vim, quae ad res sacras spectat, in Odessitanorum epimeniis inesse non est cur negemus. Habemus autem Athenis decem ἱεροποιούς[2]) ex prytanibus unius tribus electos, quibus nonnulla sacrificia publica, quae in eius prytaniae tempus inciderent, curanda erant. Quorum hieropoeorum muneribus similia fuisse munera epimeniorum civitatis Odessitanae, quos per mensem officia administrasse nomine ipso indicatur, maximam habet probabilitatem.

Γραμματέα in titulo commemoratum ut de scriba senatus intellegamus, eo moneri videmur, quod una cum epimeniis a senatoribus coronatus est.

De archontibus Odessitanorum ex titulis nihil cognoscitur, nisi quod in uno[3]) titulo tertii p. Chr. n. saeculi πρῶτος ἄρχων commemoratur. Una cum sacerdote Θεᾶς Ῥώμης magistratu eponymo fungitur in titulo modo allato, qui continet indicem epheborum. Ut Tomos[4]), sic Odessum plures archontes habuisse, quorum principem fuisse πρῶτον ἄρχοντα, conicere licebit.

Ex Odessitanorum magistratibus minoribus qui commemorentur, digni sunt ii, qui educationi praefuerunt. Distinguendi autem sunt inter iuniores, quorum educatio magistratibus curae erat, ex titulorum argumentis ἔφηβοι[5]) et νέοι[6]). Qua in divisione iuvenum rationem habitam esse aetatis sic, ut natu minores in societatem τῶν ἐφήβων, natu maiores in societatem τῶν νέων reciperentur, aliarum civitatium simili ratione comprobari videtur.[7])

Magistratuum ad iuvenes educandos creatorum ἐφηβάρχην

---

[1]) Dittenberger: Syll. no. 171 v. 30.

[2]) Dittenberger: Syll. no. 334, 13.

[3]) Rev. archéol. XXXV (1878) p. 114 no. 6.

[4]) Cf. supra pag. 28.

[5]) Rev. archéol. XXXV no. 5.

[6]) Rev. archéol. l. c. no. 3 = Mitth. a. Athen X p. 314.

[7]) In titulo in Chio insula reperto (C. I. Gr. 2214) ex ordine in gymnicis singulis recensentur: παῖδες, ἔφηβοι, ἄνδρες; ex vv. 4. 5 eiusdem tituli, ubi παῖδες, ἔφηβοι, νέοι hoc ordine se excipiunt, νέους eosdem esse, qui altero loco appellantur ἄνδρες, patet; eodem autem titulo νέους aetate provectiores esse quam ἐφήβους apparet.

qui in epheborum catalogo invenitur, ephebis praefectum fuisse eorumque educationem curasse nomine ipso indicatur. *Γυμνασίαρχον,* quod nomen restitutum est in titulo Odessitano[1]), magistratum annuum fuisse eiusdem tituli ex verbis: „*τοὺς καθ᾽ ἕκαστον ἐνι[αυτὸν] γεινομέ[νους] γυ[μνα]σ[ιάρχους]*“ apparet. Cum coronae, qua *οἱ νέοι* Xenandrum honorant, pronuntiandae curam gymnasiarchis mandatam esse ex titulo cognoscatur, gymnasiarchum *τοῖς νέοις* praefectum iisque educandis occupatum fuisse colligere licet. Sed ne munus eius Odessi latius patuisse putemus nihil obstat. Similis vero aliarum civitatium ratio, qua gymnasiarchus et *νέοις* et *ἐφήβοις* educandis operam dabat[2]), sententiae favet summam educationis curam habuisse gymnasiarchum eiusque imperio *ἐφηβάρχην* subiectum fuisse.

Inter deos, quorum cultui iuvenes Odessitani operam dabant, primum locum obtinuisse Mercurium et Herculem e titulis videtur coniciendum. In Mercurii potissimum honorem *Ἕρμαια* feriae sunt actae. Quas iuvenes instituisse et ludis certaminibusque agendis celebrasse duo tituli argumento esse videntur, in quibus hae feriae commemorantur. In decreto enim, quod in alterius[3]) tituli initio magna ex parte servatum est, de laude atque corona eius viri agi, qui de iuvenibus bene meritus sit, magnam habet probabilitatem, cum in altera parte eiusdem inscriptionis *οἱ νέοι* coronent virum propter merita in se collata. Praescribitur autem titulo, ut vir ille bene meritus honoretur in feriis *Ἑρμαίοις*. In altero titulo[4]) post eum versum, in quo *Ἕρμαια* commemorantur, nonnulla verba exstant, quibus effici videatur in versibus deletis expositum esse de viro, qui ex sua pecunia impensam fecerat. Quam liberalitatem ad ludos vel certamina a iuvenibus in Hermaeis acta referendam esse e totius inscriptionis argumento, quantum cognoscitur, verisimile fit.[5])

---

[1]) Mitth. aus Athen X p. 314.

[2]) Dittenberger: Syll. 246 v. 31. 32.

[3]) Mitth. aus Athen X p. 314.

[4]) Mitth. aus Athen IX p. 225 sq. no. 13.

[5]) Cf. C. I. Gr. 3087, ubi Boeckhius adnotat: „ac vide, ne *Ἕρμαια τὰ νέα* (?) dicta sint Hermaea a iunioribus celebrata; ad quos etiam Athenis potissimum pertinebant“. — Ad certamina in honorem Mercurii et Herculis acta cf. titululum Sesti inventum: Dittenberger, Syll. 246, 61 sq.; 77 sq.

Quid praeterea de cultu deorum ac magistratibus sacerdotalibus e titulis cognoscere liceat, paucis iam absolvam. Inter urbes Ponticas, quae cultui imperatorum Romanorum operam dederunt, Odessum urbem non ultimum locum obtinuisse titulis satis demonstratur. Augustum et Tiberium imperatores in numerum deorum relatos esse titulus[1]) argumento est. Magistratus deinde, qui sacerdotiis Caesarum fungebantur, magna dignitate erant; eponymus magistratus *ἀρχιερεύς* esse videtur in titulo Odessitano.[2])

Ex numero deorum Graecorum Castorem et Pollucem non in ultimis esse habitos ex duobus titulis effici videtur. Ac primum quidem lapis, in quo caelati sunt duo equites, titulum dedicatorium exhibet:

Δι]οσκόροις εὐχα[ριστήριον.[3])

Deinde ad eosdem deos referendum esse titulum:

. . . . *Θε[οὺς ἐπιφανεῖς*

Μητρόδ[ωρος Ἕλληνος

Mordtmannus haud improbabiliter opinatus est.[4]) Difficilius autem est diiudicare, utrum Castor et Pollux in numero deorum Samothraciorum locum invenerint necne. Fragmentum inscriptionis p. i. factum[5]) partem effecisse eius tituli, quem Boeckhius[6]) edidit, magna cum veri specie Mordtmannus existimat. Quod si recte se habet, *ἱερόν* attributum a Boeckhio desideratum exhibet, nempe *τὸ Σαμοθράκιον*. Quod templum Samothraciorum deorum cultui destinatum fuisse nomine ipso „*Σαμοθράκιον*" indicatur. In insula autem Samothrace mysteria Cabirorum magnopere floruisse satis constat; quae a multis aliis civitatibus magni aestimabantur, ut vel legatos ad mysteria agenda Samothracen mitterent, vel ipsae ad huius insulae deos colendos templa exstruerent mysteriaque agerent. De quibus potissimum diis nomen „*Κάβειροι*" intellegendum sit, non liquet. Similem vero significationem id habere atque *Ἄνακας* vel *Ἀνα-*

---

[1]) C. I. Gr. 2056 g.

[2]) Rev. archéol. XXXV (1878) p. 112 no. 5.

[3]) Rev. archéol. l. c. p. 109 no. 2.

[4]) Mitth. aus Athen X no. 6.

[5]) Mitth. aus Athen X p. 315.

[6]) C. I. Gr. 2056.

κτας viris doctis persuasum est. Interdum Cabiri nominantur *Θεοί Μεγάλοι*[1]. In nonnullis civitatibus Cabiros eosdem fuisse atque Castorem Pollucemque magnam habet probabilitatem. In insula ipsa Samothrace fortasse Castor et Pollux idem valebant atque Cabiri.[2] Quapropter cum Odessi et Castorem ac Pollucem non in ultimis habitos esse et templum Samothracium fuisse constet, hoc templum illorum deorum fuisse haud improbabile videtur. Num in urbe Odesso mysteria acta sint in deorum Samothraciorum honorem, ignoratur.

Ex unius tituli[3] argumento compertum habemus de cultu *Δερζελάτου, θεοῦ μεγάλου.* Cuius dei venerationem, quam antiquissimis temporibus indigenarum propriam fuisse ex nomine barbarico concludas, Odessitani nescio quo tempore suam fecisse atque deum ipsum in deorum publicorum numerum retulisse videntur.

Restat, ut de nonnullis magistratibus sacerdotalibus Odessitanae civitatis exponam. Ac primum quidem exstat catalogus[4] quadraginta sex civium, quos *τῷ θεῷ* sacra fecisse ex verbis titulo praescriptis cognoscitur. De quo deo cogitandum sit, non liquet. Sacerdotes annuos fuisse ex nonnullis gentibus nobilibus creatos Latichewius[5] persuasum habet.

Εὐποσιάρχης deinceps utrum magistratus fuerit sacerdotalis necne, viri docti inter se dissentiunt.

Perrotus collato munere *θοηχόου,* quod in titulo Bithynico[6] commemoratur, de magistratu sacerdotali cogitat, cuius munera sic explicare conatus est[7]: „*Εὐποσιάρχης* devait être une sorte d'échanson public de la cité qui au choix, au mélange, à la distribution des vins dans les repas publics ou bien c'était un prêtre au nom de la ville des libations dans les cérémonies et les sacrifices officiels.“ Perroti sententia inde videtur fluxisse, quod priorem partem vocis „*εὐποσιάρχης*“ spectare

---

[1] Dittenberger: Syll. 388 adnot. 26.
[2] Cf. Preller: griech. Mythologie II p. 107.
[3] Revue archéol. XXXV p. 114 n. 6.
[4] Mitth. aus Athen X p. 317 n. 5.
[5] Mitth. aus Athen XI (1886) p. 200.
[6] Perrot: Mém. p. 163.
[7] Perrot: Mém. p. 198.

ad vocabulum primitivum, quod inest in vocibus *„πίνειν, πόσις“*, putaret. Quae sententia vix potest teneri.

Mordtmannus [1]) recte mihi videtur monuisse, interpretationem eius vocabuli proficisci debere a voce *„εὐποσία“*, quae legitur in titulo Olbiopolitano [2]). Cuius tituli verba: *„ὑπὲρ τῆς πόλεως εὐποσίας καὶ εἰρήνης“* sic intellexit, ut *„εὐποσίαν“* idem fere significare atque *„εἰρήνην“* putaret. Collato igitur munere *εἰρηνάρχου* explicat munus *εὐποσιάρχου* his verbis: „Espèce de directeur de la sûreté générale“. Sed vocem *„εὐποσίαν“* Mordtmannum minus recte interpretatum esse verisimile est. Derivata enim a vocabulo primitivo, quod inest in voce *„πόσις“* pro *„πότις“* (got. „faths“, lat. „potis, pot-ens“), significare videtur potentiam vel salutem vel fortunam; quae vis, nisi fallor, eadem inest in personificatione *„θεὰ Εὐποσία“* [3]).

Εὐποσιάρχην igitur magistratum fuisse, cuius munera ad salutem vel fortunam civium spectarent, ex nomine collegeris. Sed quibus muneribus functus sit, ignoratur. Odessi eum non parva dignitate fuisse atque officia sacerdotalia praestitisse inde conicias, quod in titulo [4]) munus *εὐποσιάρχου* ad eundem virum videtur referendum, qui magistratus sacerdotalis est *ἀρχιερεύς*.

Denique *ἱεροποιός* commemorandus est, qui senatus populique decretum in lapide incidere et in templo Samothracio ponere iubetur [5]). Munera eius similia fuisse muneribus quadraginta sex civium, quos ante sacerdotio *„τοῦ θεοῦ“* functos esse vidimus, verisimile est.

C. Apollonia. [6])

Apolloniatas novis civibus nescio quo tempore receptis seditionem fecisse Aristoteles [7]) memoriae prodidit. Ex altero loco [8]) eiusdem auctoris tumultum esse factum, cum optimatium

---

[1]) Rev. archéol. XXXV p. 113.
[2]) Hermes III, 440.
[3]) C. I. Gr. 3906 b.
[4]) Revue archéol. XXXV p. 112 n. 5.
[5]) C. I. Gr. 2056.
[6]) Archäol.-epigr. Mitth. aus Oestr. X p. 162.
[7]) Polit. libr. ed. Susemihl *H* (*E*), 3, 1303 a, 36 sqq.
[8]) Polit. libr. 1306 a, 6 sqq.

regimen in odium venisset, cognoscimus. Quo tumultu num illud imperium cum populari imperio commutatum sit, ex verbis Aristotelis non intellegitur. Sed imperio optimatium suspenso civitatem Apolloniatarum ita esse temperatam, ut a senatu ac populo gubernaretur, ex tituli[1]) praescripto elucet: *„Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀπολλωνιατῶν“.*

Comitiis civium magistratus creatos esse argumento sunt inscriptionis[2]) haec verba: *„Ἑλέσθαι δὲ τὴν ἐκκλ[ησίαν ἄνδρας δύο οἵτιν]ες ἐπιμεληθήσονται κ. τ. λ.“* In populi quoque arbitrium revocati videntur honores, quibus viri de re publica bene meriti afficerentur; legimus enim in tituli Mesambriae urbis v. 13[3]): *[ὑπὸ τοῦ δ]ήμου τοῦ Ἀπολλων[ια]τᾶν χρυσῷ στεφάνῳ.*

Inter magistratus Apolloniae publicos primum locum ut videntur obtinuerunt *ἄρχοντες,* quibus *οἱ στρατηγοί* Callatianorum *ἀντίγραφον* senatus populique decreti mittere iubentur.[4])

Curatoribus vel ministris magistratuum annumerandi videntur *[ἐπιμελη]ταὶ ἢ πάρεδροι,* quibus mandatur[5]), ut impensam faciant ad columnam ponendam ac rationem reddant.

Γυμνασιάρχου[6]) munera similia fuisse muneribus magistratus eiusdem nominis aliarum civitatium Graecarum, quem iuvenibus educandis operam dedisse constat, verisimillimum est.

De cultu deorum institutisque sacris Apolloniatarum perpauca sunt, quae ex titulis cognoscantur. Apollinem non ultimum locum inter deos civitatis obtinuisse inde colligi potest, quod duobus in titulis ut in eius templo decreta publica ponantur praescribitur. Magnam statuam Apollinis Lucullum ex urbe Apollonia Romam duxisse ad gloriam victoriae suae augendam auctores narrant.

Mysteria in honorem Bacchi Apolloniae acta esse ex titulo[7]), in quo singulis nominibus munera mystica adscripta

---

[1]) Mitth. aus Oestr. X p. 164.

[2]) Mitth. aus Athen IX p. 216 = C. I. Gr. 2056 d.

[3]) C. I. Gr. 2053 d.

[4]) Mitth. aus Oestr. X p. 220 v. 30.

[5]) Mitth. aus Oestr. X p. 164.

[6]) Mitth. aus Oestr. X p. 164 v. 14; 15.

[7]) C. I. Gr. 2052.

sunt, in his: „*λικναφόρος, βουκόλος, ἑστία[ρχος], κρατηριακός, ἀρχιμύ[στης], ἀρχιβάσσαρα, κισταφόρος*", concludas.

D. Mesambria.

Perpaucos habemus titulos, e quibus de Mesambrianorum rei publicae institutis et magistratibus aliquid cognoscere liceat. Duo sunt tituli, quibus tertio et altero a. Chr. n. saeculo apud Mesambrianos imperium populare fuisse confirmatur. Ex altero titulo Callippo cuidam *προξενίαν, πολιτείαν* aliaque donata esse compertum habemus. Cuius decreti forma ita est comparata, ut simpliciter dicatur [1]: „*Μεσσ[αμβρ]ιανοὶ ἔδωκαν Καλλίπ[πωι κτλ.*"; unde populi arbitrio id confectum esse verisimile fit. Altero titulo [2], cui praescriptum est: „*Ἔδοξε τᾶι βουλᾶι καὶ τῶι δά[μωι*", rem publicam Mesambrianorum altero a. Chr. n. saeculo a senatu ac populo gubernatam esse comprobatur. Eodem saeculo conscriptus est titulus [3], in quo de senatoribus intellegenda sunt verba: „*Εἰςηγη]σαμένων τῶν συνέδρων*". Cum propter lacunam in tituli initio de magistratibus eponymis nihil cognoscatur, *συνέδρους* partem esse senatorum, qui officia cotidiana senatus per mensem administraverint et idem fere atque aliis in civitatibus prytanes vel aesimnetae valuerint, verisimile est, praesertim cum adiectum videamus, quo mense officium, quod est *εἰςηγεῖσθαι,* praestiterint.

Ex magistratibus rei militari praefectis commemorandi sunt *ταξίαρχοι* [4].

Ταμίας, cuius est senatus populique decretum in lapide incidere et in templo Apollinis ponere [5], magistratus videtur rei pecuniariae praefectus.

Ἀγορανόμοι Mesambrianorum, ut magistratus eiusdem nominis in aliis civitatibus, foris rerum venalium praepositi erant. Negotiatores, qui in urbe consistunt, ut nomina apud se profiteantur atque in tabulis inscribant, adhortantur [6]. Munus

---

[1]) C. I. Gr. 2053 c = Mitth. aus Athen IX p. 218.
[2]) C. I. Gr. 2053 b = Mitth. aus Athen IX no. 5.
[3]) C. I. Gr. 2056 e = Mitth. aus Athen IX p. 218.
[4]) Mitth. aus Oestr. X p. 175 v. 7.
[5]) C. I. Gr. 2053 b.
[6]) C. I. Gr. 2053 = Dittenberger, Syll. 339.

eorum non parva dignitate fuisse inde colligi potest, quod agoranomis additum est nomen „βουλευταί", sive iidem eodem tempore et senatores et agoranomi fuerunt, sive agoranomi a priore magistratu honorificum titulum „βουλευταί" servarunt.

„Γερουσιαστής" nomen Boeckhius coniectura restituit in inscriptione[1]) Mesambriae urbis. Aetate Romana haud raro in titulis nonnullarum civitatium *γερουσία* commemoratur[2]). Cogitandum autem videtur de seniorum societate, quae suos habebat curatores ad res societatis administrandas; quorum innotuerunt *ἔκδικος* et *ταμίας*[3]). Rei publicae gerendae illud corpus seniorum operam dedisse non est cur putemus. In urbe Mesambria similis societatis seniorum *γερουσιαστήν* sodalem fuisse maximam habet probabilitatem.

E. Callatis.

De Callatianorum rei publicae institutis, quae ante Romanorum imperium fuerint, quaedam cognoscere licet e titulo, quem exeunte altero vel ineunte primo a. Chr. n. saeculo conscriptum esse Szanto probabiliter opinatus est[4]). Cuius viri docti sententiae, Callatidi urbi illum titulum tribuendum esse, id etiam favet, quod titulus dialecto dorica scriptus est. Callatim enim coloniam esse Heracleae Ponticae, urbis doricae a Megarensibus conditae, ex Scymni Chii periegesi compertum habemus.

Quod si decretum, quod in titulo inde a versu 22 invenitur, Callatidis urbis est, civitatem Callatianorum a senatu ac populo gubernatam esse eo tempore, quo titulus confectus est, ex versu 22 cognoscitur.

Ex magistratibus in titulo nominantur *πρόβουλοι* et *στρατηγοί*. Earum civitatium, quae optimatium regimine uterentur, plerumque proprium fuisse perpaucos habere probulos ab Aristotele[5]) explanatur; quibus probulis *βουλή*, quae magis ad

---

[1]) C. I. Gr. 2055.

[2]) Cf. Dumont: Archives des miss. scientif. III pag. 137 no. 55; 57 c; no. 104; 104 b.

[3]) Cf. not. 2 no. 55.

[4]) Mitth. aus Oestr. X p. 198.

[5]) Polit. libr. ς (Δ) cap. 15, 1299 b, 30 sq.

populare imperium spectaverit, eiusdem auctoris verbis „βουλὴ δὲ δημοτικόν" opponitur. In urbe Callati olim paucorum imperium fuisse ita, ut probuli una cum paucis optimatibus rem publicam administrarent, ex nomine προβούλων forsitan conieceris. Ea autem aetate, ad quàm argumentum tituli spectat, res aliter se habet. Constat enim, ut ante vidimus, tum Callatianis imperium populare fuisse, cui plane ea potestas probulorum, quae Aristoteli in mente est, repugnaret. Gravius autem est, quod ex tituli ipsius vv. 35. 36 probulorum munera menstrua fuisse concludere possumus.

Jam quaerendum est, quae officia probuli praestiterint. Praescriptum eis videtur v. 37. 38, ut indicarent, quo loco fori decretum ponendum esset. Cuiusmodi mandatum, ut vulgo scribae senatus vel curatoris cuiuslibet muneri convenit, ita interdum magistratibus maiore dignitate datur. De probulis aliarum civitatium non satis accurate iudicare licet. Eretriae urbis probulos annuum magistratum fuisse, a quo rogationes, antequam subicerentur senatorum concilio et populi contioni, deliberarentur, Gilbertus[1]) recte videtur explicasse.

Callatianorum probulos, cum per mensem muneribus functi sint, conferre licet cum prytanibus Atheniensium, qui ad tempus munera senatus cotidiana suscipiebant, neque ipsos eodem modo atque prytanes Atheniensium partem fuisse senatorum, qui officia senatus cotidiana curarent, probabilitate caret. Dicat forsitan quispiam, e vv. 34. 35, ubi τὸ πρυτανεῖον commemoratur, in quod στρατηγοί viros a Callatianis honoratos vocare iubentur, colligendum esse prytanes Callatianis fuisse; qua re explicatio magistratuum probulorum, quam proposui, refelleretur. Sed etiamsi illas aedes publicas a prytanibus nominatas esse non nego, tamen nomen „πρυτανεῖον" non satis causae praebet, cur illis temporibus, de quibus agitur in titulo, prytanes in urbe Callati fuisse statuamus. Fieri enim potuit, ut prytaneum a prytanibus appellaretur ea aetate, qua is magistratus apud Callatianos erat. Illo autem magistratu cum probulorum muneribus commutato aedes nomen a prytanibus derivatum servarunt. Quam ad sententiam inclinare non dubito, praesertim

[1]) Gilbert: Griech. Staatsalterthümer II p. 67.

cum aliis in civitatibus simile acciderit. In urbe Lampsaco senatores, qui munera cotidiana senatus curabant, non *πρυτάνεις*, sed *ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς* appellabantur. Curia autem urbis erat *πρυτανεῖον*; quod quin priscis temporibus a magistratu aliquo *πρυτάνεως* nominatum sit, non potest dubitari, praesertim cum *πρύτανιν* magistratum Lampsaci fuisse Suidas auctor sit, apud quem Charontem Lampsacenum, cum patriae annales componeret, prytanis nomine quemque annum significasse legimus.[1])

Magistratibus deinceps annumerandi sunt *στρατηγοί*, qui vers. 29 tituli ante allati commemorantur. Decreti Callatianorum exemplar ut magistratibus Apolloniatarum mittant aliudque simile iis mandatur.

Aetate Romana Callati imperium populare fuisse duo tituli demonstrant, quorum alter[2]) exhibet verba: „*ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος*", alter[3]): „*βουλὴ δῆμος Καλλατιανῶν*".

Tribum proprie ionicam „*Αἰγικορεῖς*" conicere licet ex tituli[4]) sepulcralis versu 2.

De magistratibus Callatianorum aetate Romana nihil compertum habemus, nisi quod in titulo[5]) valde mutilo laudari videtur vir, qui *ἔκδικος, ἀγωνοθέτης, ἄρχων* fuerit. *Ποντάρχης* commemorari videtur in uno titulo Callatiano.[6])

Quod ad deorum cultum pertinet, dignum est cuius mentio fiat, argumentum inscriptionis[7]), quo quae officia „*ὁ πριάμενος τὴν ἱερω[σύνην τῶ]ν μυστῶν θεῶν τῶν ἐν [Σαμοθρά]κῃ*" curare debeat exponitur. Qua in inscriptione quin recte expleta sit vox „*Σαμοθράκῃ*", vix potest dubitari. Callati igitur deos Samothracios cultos eorumque in honorem mysteria acta esse cognoscimus.

Mysteriorum qui participes erant, *μύσται* appellabantur.

„*Θίασον*" societatem, cuius sodales audiunt *θιασεῖται*, in-

---

[1]) Kersten: De Cyzico etc., diss. p. 38.
[2]) Mitth. aus Oestr. VI p. 4 no. 3.
[3]) Mitth. aus Oestr. VIII p. 3 no. 6.
[4]) Mitth. aus Oestr. VI p. 9 no. 15.
[5]) Mitth. aus Oestr. VI no. 4.
[6]) Mitth. aus Oestr. VI p. 7 no. 13.
[7]) Mitth. aus Oestr. VI p. 8 no. 14.

venimus in titulo[1]) commemoratam; sed cuius dei cultum sacraque egerint, ignoratur.

F. Istrus.

Quomodo res publica Istrianorum antiquissimis temporibus temperata sit, accuratius explicare non licet. Aliquando penes paucos summum imperium fuisse colligitur ex Aristotelis polit. libro[2]). Sed optimatium regimen in odium venisse atque cum populi imperio esse commutatum ex eiusdem auctoris loco[3]) discimus. Quod quamquam quo tempore factum sit diiudicari non potest, primo a. Chr. n. saeculo Istrianorum rem publicam ita administratam esse, ut penes populum summa potestas esset, argumento est titulus[4]), quo Aristagoras quidam propter eximia in civitatem merita honoratur.

Jam ad singula, quae ex hoc titulo cognosci possint, accedamus.

Quod ad divisionem populi attinet, ex tituli v. 23: *„καὶ φυλῶν ἐπιδόσεσιν κ. τ. λ.“* civitatem Istrianam in tribus divisam esse elucet.

In populi contione, quae vocatur *„ἐκκλησία“*, de summis ac maximis rebus deliberatum esse pro certo habendum est. Rogationem a Xenochare factam, quae totius tituli argumentum continet, populi contioni subiectam eiusque suffragiis comprobatam esse coniciendum videtur inde, quod munus *ἐπιμηνίου τῆς ἐκκλησίας* titulo praescriptum est.

Populum ius habuisse magistratus creandi colligas ex duobus[5]) tituli locis. Inter magistratus *ἱερεὺς Ἀρισταγόρας* munere eponymo fungitur; quem magistratum de sacerdote Apollinis intellegendum esse nonnulla indicia praesto sunt. Muneri enim eponymo Aristagorae adiectum est *„τὸ τέταρτον“*. Itaque cum tribus tituli locis eundem Aristagoram Apollinis sacerdotio functum esse exponatur, *τὸ τέταρτον* ad illud tempus spectare, quo Aristagoras ter magistratu peracto iterum sa er-

[1]) Mitth. aus Oestr. VI p. 10 no. 16.
[2]) *H* (*E*) 6, 1305 b, 2 sq.
[3]) *H* (*E*) 6, 1305 b, 11.
[4]) Mitth. aus Oestr. VI p. 36 no. 78.
[5]) v. 29; v. 42.

dotium Apollinis curaverit, non sine magna veri specie statuas. Gravius autem est, quod nomen ipsum „ἐπώνυμος“ de magistratu Apollinis sacerdotali usurpatur[1]).

Praeter sacerdotem invenimus alterum magistratum in tituli praescripto: „ἐπιμήνιον τῆς ἐκκλησίας“; qui, quantum scio, primum ex hoc titulo innotuit. Jam quaerendum est, quae eius munera fuerint. Ex duabus vocis „ἐπιμήνιος“ significationibus, quarum altera ad res sacras, altera ad rem publicam pertinet, priorem in nostrum locum cadere negandum videtur; illud ipsum, quod magistratus sacerdotalis in tituli praescripto iam locum invenit, favet ei sententiae, ut magistratum civilem intellegamus. Habemus autem nonnullarum civitatium titulos, in quibus ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς iidem sint atque Athenis alibique prytanes. Titulo[2]) Iliensi, ubi legimus: „Ἐπιμηνιεύοντος Νυμφίου τοῦ Διοτρέφους, ἐπιστατοῦντος δὲ Διονυσίου τοῦ Ἱππομέδοντος“, ἐπιμήνιον sic ut ἐπιστάτην prytanibus praefuisse videri, qui per mensem negotia quotidiana senatus curarent, Dittenberger adnotat. Cuius epimenii muneribus accedere munera epimenii Istrianorum maximam habet probabilitatem. Non enim ultimum officium erat illorum epimeniorum conciliis populi praeesse, quod ut epimenii civitatis Istrianae fuisse statuamus, verbis tituli: „ἐπιμηνιεύοντος τῆς ἐκκλησίας“ commovemur. Munus eius epimenii menstruum fuisse ex nomine ipso magistratus probabiliter conieceris.

„Ἀγορανόμος“ magistratus Istrianorum cognoscitur ex eiusdem tituli versu 38. Aristagoras, qui hoc munere optime fungebatur, eo quoque de civitate bene meruit, quod ad ἀγορανόμιον aedificandum pecuniam praebebat.

Ex titulo quibus rebus ἀγορανόμιον destinatum sit, non comperimus. Sed aedes publicae intellegendae videntur, in quibus ἀγορανόμοι congregati officiis functi sint.

Τειχοποιόν magistratum[3]) muris aedificandis consuluisse nomine ipso indicatur. Aetate, quae tituli tempori antecessit, urbem Istrum sine muris fuisse cognoscimus ex v. 7. 8. Quam ob rem id munus, cum ad moenia, quibus urbs ab hostibus de-

---

[1]) Cf. v. 21.

[2]) Dittenberger: Syll. 156.

[3]) Cf. v. 9.

fenderetur, aedificanda praecipue spectasse videatur, primo demum a. Chr. n. saeculo institutum Aristagoramque primum *τειχοποιόν* fuisse verisimillimum est.

Romanorum aetatis titulus[1]) praebet magistratum *ἀρχιερέα.* Eiusdem tituli munus *εὐθηνιάρχου* comparare licet cum munere „*εὐθηνίας ἐπιμελητοῦ*", annonae curatoris.[2])

G. Dionysopolis.

Dionysopolim urbem inter Odessum oppidum et promunturium, quod nunc Tiriza Akra vocatur, sitam, quam Ovidius in Tristium libro[3]):

„Inde Mesambriacos portus et Odeson et arces
Praetereat dictas nomine, Bacche, tuo"

laudat, Romana aetate a senatu ac populo gubernatam esse ex praescriptis duorum decretorum discimus.

Ex magistratibus publicis commemorandi sunt *ἄρχων τῆς πα[τρίδος]* et *γυμνασιάρχης*[4]).

Bacchum conditorem urbis appellatum eiusque sacris curandis sacerdotium fuisse ex titulo Dionysopolitano cognoscitur[5]).

Deinde *ἀρχιερεύς*[6]) notus est; quem magistratum cultui Caesarum praefuisse constat.

H. Anchialus[7]).

Anchialus urbs, haud procul ab Apollonia ad septentriones versus sita, Romanorum aetate imperium populare habuit; cuius rei argumentum praebetur titulo[8]), quo *ἡ βουλὴ καὶ ὁ λαμπρότατος δῆμος Οὐλπιανῶν Ἀγχ[ιαλέων]* imperatorem Romanum M. Aurelium Antoninum honorat.

---

[1]) Annali dell' Instit. 1868 p. 93.
[2]) C. I. Gr. 1186.
[3]) I, 10 v. 37, 38.
[4]) Mitth. aus Oestr. X p. 184 no. 1; no. 3.
[5]) Archäol. Zeitung 1850 p. 139.
[6]) Mitth. aus Oestr. X p. 184 no. 2; no. 3.
[7]) Mitth. aus Oestr. X p. 172.
[8]) Mitth. aus Oestr. X p. 172 no. 1.

VITA.

Josephus Kleinsorge natus sum in vico, cui nomen est Oestinghausen, die III. mensis Julii a. h. s. LXV, patre Matthaeo, quem nonnullos abhinc annos mors praematura mihi eripuit, matre Gertrude e gente Korf, quam adhuc vivere valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primordiis litterarum imbutus frequentavi gymnasium Paderbornense, cui tum Antonius Schmidt, vir illustrissimus, optime praeerat. Maturitatis testimonium adeptus vere anni h. s. LXXXIV universitatem adii Julio-Maximilianam Herbipolensem, ut studiis philosophicis incumberem. Herbipoli cum sex menses me docuissent philosophorum ordinis viri doctissimi Kirschkamp, Stahl, Henner, Halas me contuli ibique scholis interfui virorum illustrissimorum: Burdach, Dittenberger, Gering, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Pischel, Sievers, Stumpf, Vaihinger, Zacher. Keil, Hiller, Dittenberger benigne concesserunt, ut exercitationibus proseminarii et seminarii philologici interessem. Gering et Sievers seminarii germanici ut essem sodalis liberalissime permiserunt. Exercitationibus ut interessem archaeologicis Heydemanni, philosophicis Stumpfii liberalitate mihi contigit.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis, imprimis viro humanissimo Dittenberger, cuius opera atque auxilio in hac dissertatione componenda maxime usus sum, gratias ago semperque habebo.